Harmonia, subsidia, nexus, et affinitas theorematum medicorum cum disciplinis altioribus demonstrata in solenni inauguratione doctorali a ... Petro Wilhelmo Josepho de Ginetti ... Joanne Wilhelmo Heis ... Matthia Josepho Meyer ... Francisco Stephano Schuirmann ... curante ... Joanne Georgio Menn / [Johann Georg Menn].

Contributors

Menn, Johann Georg, 1730 or 1731-1781.
Ginetti, Peter Wilhelm Joseph von.
Heis, Johann Wilhelm.
Meyer, Matthias Joseph.
Schuirmann, Franz Stephan.
Universität zu Köln.

Publication/Creation

[Coloniae] : Typis academicis, [1779]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/q6sdd8g4

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

HARMONIA,

SUBSIDIA, NEXUS, ET AFFINITAS THEOREMATUM MEDICORUM CUM DISCIPLINIS ALTIORIBUS DEMONSTRATA

IN SOLENNI INAUGURATIONE

DOCTORALI

AD MOREM MAJORUM

à

Perillustri, Prænobilibus, Expertissimis, ac Celeberrimis Dominis

PETRO WILHELMO JOSEPHO DE GINETTI

Monasterio-Eiffliaco, Anatomes, ac Institutionum Medicarum Professore publico ac ordinario,

JOANNE WILHELMO HEIS

Medicinæ Hippocraticæ Professore publico,

MATTHIA JOSEPHO MEYER

Praxeos Medicæ & Artis obstetriciæ Professore publico ac ordinario,

FRANCISCO STEPHANO SCHUIRMANN

Rei Herbariæ Officinalis Professore publico,

AGRIPPINATIBUS

MEDICINÆ LICENTIATIS

IN ALMA PONTIFICIA, ET CÆSAREA UNIVERSITATE UBIO-AGRIPPINENSI

CURANTE

Celeberrimo, Expertissimo, Præstantissimoque Domino

JOANNE GEORGIO MENN

Medicinæ Doctore, Materiæ Medicæ ac Chemiæ Professore publico, ordinario, primario, Collegii Professorum Medicorum Præside, ac Promotore perpetuo, p. t. Decano.

Ad Diem XXII. Aprilis MDCCLXXIX.

TYPIS ACADEMICIS.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

REVERENDISSIME, MAGNIFICENTISSIME, Perillustres, Generosi, Strenui, Amplissimi, Eximii, Sapientissimi, Consultissimi, Clarissimi, Expertissimi, Celeberrimi, Subtilissimi, Doctissimi, Plurimùm Reverendi, Religiosi, Ornatissimi perquàm Eruditi D., Dni o. O. Auditores splendidissimi, Spectatores, Fautores honorandissimi.

Augusta vobis Spectacula Aprilis exhibet, audiistis Festos Tubarum, Tympanorumque strepitus, videtis deposita hìc jacere serta, & laureas, hos ipsos Palestræ hujus parietes, & subsellia quasi tripudiare, lætiùsque suo in amictu, & ornatu ridere conspicitis, ad pompam & plausum conspirant omnia, & quorsum hæc singula? Consistunt hìc, ut coram videtis, in hoc aditu laudis, in hoc gloriæ Theatro quatuor lectissimi, laudatissimique Pugiles, in omni certamine quovis periculo invicti, quos meritis decorare sertis *Hygiene* hodie aggreditur, meritis inquam; applausere enim iis non semel Viennensium, Monspeliensium, Argentinensium, Duisburgensium, Marburgensium, Coloniensium Universitates, Dussellani, & Bonnensis Medicorum Collegii Antistites, illosque ægerrimè suo è gremio avelli passi sunt. Et gestiissent sanè medicâ Daphnide coronare hos Heroës, nisi nobis reservata fuissent hæc otia.

Nôrant illæ, quantum laborassent, quantum sudassent, imo quantum acerrimâ de hyeme alsissent, quantum frixissent tædiosos inter & nauseosos labores, æstuante tamen semper fervore; nôrant, quam avidè Regna, Provincias, & Flumina, Montes & Valles peragrassent, dum profusissima Scientiæ Medicæ Regna percurrêre, mille pericula, labores Herculeos exantlârunt; arduum quippe, difficile, herculeum opus est, pro rei dignitate in hoc studio versari; Etenim Ars Apollinea diversis circa idem objectum diversimodè versantibus scientiis tanquam membris tandem coalescit,

 membra

membra hæc primaria ſunt: Phyſica, Hiſtoria naturalis, Matheſis, Anatome, Phyſiologia, Pathologia, Semeologia, Therapæa, Materia medica, Chirurgia, Botanice, Chemia, Medicina forenſis, & non minima Theologiæ moralis, & naturalis pars.

Siquis velit omnes Studii medici anfractus, connexiones, & affinitates cum aliis altioribus diſciplinis pro rerum dignitate perſcrutari, inveniet Encyclopediam quandam inter omnes, ſine qua nulla in ſuis principiis, & eorum applicatione firma, certa, tuta, & ſtabilis exiſtere poteſt; id quanquam pro eâ, quæ vobis eſt perſpicaciâ abundè cognoſcatis, lubens tamen mecum decrevit Neo-inaugurandus invictorum Heröum Quaternio, ut hâc horâ conciſis orationibus amicum & neceſſarium eſſe altiorum Scientiarum cum Medicinâ connubium palam evincat.

PRIMUS itaque Laureæ Doctoralis Candidatus longo ac felici Artis uſu jam Celeberrimus, exponat amiciſſimum eſſe hiſtoriæ naturalis ac Matheſeos cum Medicinâ connubium.

Lubens ſubeo demandatam mihi Provinciam; ſi de ullâ, quotquot dantur, Scientiarum & Artium dici poſſit, quod utile miſcendo dulci omne punctum tulerit, id certè de Hiſtoria naturali valet, quæ Naturæ Biblia, in qua ſive combinationes univerſales, aut diſpoſitiones ſingulares conſiderare, ſive pulchritudines, & venuſtates individuas examinare libuerit, omne, quod occurrit, arridet & inſtruit, plena hìc omnia, elegante picturâ, exactiſſimâ proportione, utilitate infinitâ, divinam teſtantur providentiam.

Singula, queis ambimur, corpora tam immenſæ molis, quàm minimæ, Elephas æquè ac exiliſſimum inſectum, vaſtiſſimæ molis arbores, quam minutiſſima mucoris planta, excelſiſſima petra, quam arenæ mica veritates docent & inſtruunt; loquuntur omnia, ſermocinatur ſtructura, diſſerit exiſtendi ratio, & determinata eorum ad certos fines inclinatio clamat omnipotentem ſummi Conditoris bonitatem.

Divinum illud naturæ ſtudium id totum complectitur, quod halitu Altiſſimi factum eſt, cœlum, meteora, aërem, terram, ignem, & aquam, ac quidquid in hiſce movetur, aut quieſcit, omnes globi habitabilis, hoſpites, aëris incolas, marium populum. Eſt ergo objectum Hiſtoriæ naturalis æquè latè patens, quam natura

tura ipſa, præbetque plurimarum tam Scientiarum, quàm Artium verum, ditiſſimumque promptuarium, è quo earum quælibet propriam ſibi eligit, & eruit materiem, ſub- & objecta colligit.

Scientias igitur omnes, & artes quodam ad hiſtoriam naturalem vinculo copulari palam eſt, cognitionis tamen hujus cum reliquis non æquè arctum eſſe vinculum, quàm cum Medicinâ me ſufficienter demonſtrâſſe judico, ſi & ortum earum quaſi ſimultaneum, infantiam, fata communia, modum creſcendi, mutua ſuffragia, reciprocum utriusque ad alteram nexum breviter deduxero.

Hiſtoria docet, Medicinam communi cum reliquis Artibus & Scientiis fato, tenuiſſimâ pullulaſſe origine, illamque Græcorum, & Ægyptiorum fuiſſe ſimpliciſſimam; idem & Hiſtoriæ naturali obtigiſſe nemo dubitaverit, cui & prima hujus germina mecum proſequi non diſplicuerit.

Natura ab ipsâ ſui creatione extitit omnium rerum ſine culturâ fœcundiſſima, omni creaturæ ubertim ſufficiens mater, ut adeo primi hujus ævi homines omnibus abundantes, ſolos & ſimplices rerum creatarum contemplatores, non obſervatores egiſſe videantur, donec & hominum, & animalium copiis liberali naturæ fœcunditate multiplicatis, quod alma tellus ſponte largiebatur, neo-populo minus ſuffecturum prævideretur, neglectique hucusque agri culturam exigerent; ipſa nunc neceſſitas mortales cogere inchoabat, ad ſingula accuratius attendere, notare ea, ex quibus aliqua in univerſum poſſet redundare utilitas, rerum proprietates proximius rimari, earundemque multiplicandarum ordinem, & rationem obſervare, & (cum morbi, coætanea mortalibus flagella, ſanitatem impugnarent acriùs) remedia quærere, noxia à ſalubribus ſecernere.

Cum vero nec rerum ſingulares proprietates, propagandi modum, & utilitates, nec remediorum vires, nec morborum naturam à priori noſſe datum eſſet, plurima hinc fortuito ſolum caſu, ex naturalibus inſtinctibus & eventibus haud prævisis diſcenda erant; fontes ex quibus & Medicina, & Hiſtoria naturalis communi commodo ſuas hauſerunt aquas. Ita didicerunt homines aquam frigidam omnium potulentorum innocentiſſimum, exæſtuanti corpori ingeſtam, pleuritidis & mortis cauſam fuiſſe.

Cairi incolis solâ experientiâ constitit, pestem eâ die desinere, quâ Nilus agros inundat.

Ita casus merè fortuitus docuit vim Scordii antisepticam, cum adverteretur, cadavera militum in acie cæsorum, quæ prope Scordium jacebant, minus longè putruisse, quam alia.

Vim Hellebori à Capris didicit Melampus. Ita vim graminis solventem in obstructionibus viscerum, in calculis biliosis ex animalibus didicimus, quæ dum hyemali tempore sicco fœno in stabulis pascuntur, infarcta plerumque & calculosa lanionibus viscera exhibent; recente vero gramine liberis in pascuis nutrita, viscera sanissima recuperant. Quam in rem ingeniose Plinius pronunciavit, dicens: *pudendum rursus, omnia animalia, quæ sunt salutaria ipsis, nosse, præter hominem*, quin si huic Authori fides, etiam venæsectionem & clysmatum usum ab animalibus edoctos esse homines dicas; *ait enim Lib. VIII. Cap.* 26. Hippopotamus in quadam medendi parte etiam magister extitit, assidua namque satietate obesus, exit in Littus, recentes arundinum cæsuras speculatus: atque ubi acutissimam vidit stirpem, imprimens corpus, venam quandam in crure vulnerat, atque ita profluvio sanguinis morbidum alias corpus exonerat, & plagam limo rursus obducit. *Et Cap.* 27. de Ibide ave, quæ clysmatibus faciendis instituerit homines, sic habet: simile quiddam & volucris in Ægypto monstravit, quæ vocatur Ibis: rostri aduncitate per eam partem se perluens, quâ reddi ciborum onera maximè salubre est.

Missis Plinianis, an non quotidie videmus, canes & feles, nimiâ colluvie, & indigestis alimentis oppleta ubi sentiunt viscera, per secessum & vomitum molestam illam saburram canini graminis esu excutere. Anates, & Anseres, quæ solida semina devorant, neque tamen firmissimum nactæ ventriculum, devorare lapillos, qui dentium vicario officio functi duriorem cibum subigunt.

Sic Medicina ex calibus fortuitis, & instinctibus sua didicit, sic historia naturalis; quis enim leporem docuit canem minimum; non cornubus formidabilem cervum; pullos milvum; non pavonem timere; quis de animalium inimicitia, eorum venationibus, bellis, cogitasset unquam? quis in vili glebâ aurum & metalla, quis in minimo seminis granulo totam latere plantam supposuisset, nisi casus fortuitò oborti

orti id docuiſſent naturalis Hiſtoriæ amatorem? Quid in animalium Hiſtoriâ præter inſtinctuum ſparſim obſervatorum, & collectorum deſcriptionem? imo ſi (quidquid de virtutibus, utilitatibus, & proprietatibus rerum in utraque amicarum hiſtoria naturali, & Medicina habetur) primam ſui originem ex dictis fontibus hauſiſſe dicerem, me non errâſſe judico.

Aſt uti mens hominis in ſphærâ inſtinctuum (brutorum animalium ſorte) quieſcere refugit, utpote quæ ſoli præſenti tempori proſpicit, ſed memor præteriti, conſcia præſentis, ex comparatione notarum, futurum etiam attingere conatur. Ita nec medicina, nec hiſtoria naturalis anguſtis hiſce cancellis concluſæ diutius hærere poterant, ſed campum floridiorem nactæ novæ culturæ flores legebant in experimentorum memoriâ, deſcriptionibus rudioribus obſervatorum, analogiis his ſuperſtructis, inciſionibus vivorum animalium, cadaverum inſpectionibus, & omnibus ambientibus penitius perſpectis; acceſſit inde major utrique perfectio quidem, ſed vix ad Plinii, & Ptolomæi tempora provecta, queis Septentrio agmina barbarorum in orbem cultiorem effundebat, qui ſcientias & artes deleverunt; feroces enim populi ignotas ſibi diſciplinas contemnentes, diſſipabant ſcholas, inflammabant cum ipſis urbibus bibliothecas.

Infelici hoc ævo mortales de vitâ ſolliciti ad ornamenta ſapientiæ deſierunt aspirare, tunc præter gladium magni nihil, in eo ſola, & una ſcientia.

Factum hinc, ut non librorum ſolum penuriâ, ſed quietis, æmulationis, & exemplorum defectu ignorantia inſurgeret in omni genere deterrima.

Sæculo nono Hiſpania, in quam artes humaniores confugerant, à Saracenis, Africanis ſubacta eſt, atque tunc quidem, partâ victoriis pace fruens gens alioquin ingenioſa paulatim libros Græcorùm didicit evolvere: Arabice tunc loqui cœperunt Hippocrates, Ariſtoteles, Galenus; & gens univerſa circa annum milleſimum ita literarum amore exarſit, ut in urbe Marocco conderetur ſchola inſignis, publico ſumptu alerentur ſtudioſi, bibliotheca colligeretur, tantâ cupiditate, ut Rex ipſe, & Pontifex lectionibus præſidere non haberet dedecori.

Tunc vero alioquin ſubtilis, & meditabunda Arabum gens, nimis ſubtilia Galeni ſyſtemata ita acuta reddidit, ut mentes hominum, rerum oblitæ, circa

meras

meras ideas verſarentur, abſtractosque conceptus. Interim ſpinoſa hæc Arabum philoſophia fimbrias ſuas in Italiam, Siciliam, Hiſpaniam, & Africam extendebat, ſcholæ ejus maxime in Regno Neapolitano, aliisque locis erectæ celebrabantur, dum cum medicina naturæ hiſtoria omnino neglecta languebat, & ſic nobile hoc ſororum par, quod ſociali creverat augmento, ſociali fato fere extinctum fuiſſet, niſi novi defenſores Athletæ, nova lumina, Harvæus, Malpighius, Newton, Grevv, Lœwenhoeck, Schwammerdam, & plures alii in auxilium inſurrexiſſent.

Mirum, quantum fortunatum hujus ſæculi initium ſtudium hiſtoriæ naturalis, & medicinæ erexerit, formaverit, & condecoraverit; ab exoptato hoccetempore vires unitæ academiarum, & ſocietatum ſcientificarum. Reaumuri, Linnæi, Buffonii, Boerhaavii, Liſteri, Juſſieu, Duhamelii, Swietenii, Halleri, & multorum aliorum Naturaliſtarum, & Medicorum illuſtrium, plurima eaque conſiderabilia detexerunt, & obſervarunt, de quibus ne quidem ſomniaverat antiquitas, quibus caruerant, modo ornantur medicina & hiſtoria naturalis; hâc epocha ſub manibus ſcientificorum, celeberrimorumque virorum, plurimum perfectionis adepta chimia, à cujus ignibus multam lucem, & medicinæ, & hiſtoriæ naturali afflulſiſſe certum eſt; chimia enim verſatur circa analyſin corporum, quorum proprietates deſcribit hiſtoria naturalis; utilitates experitur Ars medica. Ut autem amicum utriuſque connubium elucescat, quam intertexta, & intermixta ſint mutua earum auxilia, & neceſſitates reciprocæ, deducere conabor. Non vaſtum illud naturæ luxuriantis, & indefinitæ imperium perluſtraturus, ſed terna, quæ nos proxime ambiunt naturæ regna animale, vegetabile, & foſſile, aquam additurus & aërem, omni poſſibili celeritate percurſurus.

Quanta, & quam multa fertiliſſimum animalium regnum, medicinæ non ſuppeditat, & pluribus artibus commoda, & neceſſaria? quorum exactam notitiam pandit hiſtoria naturalis, è quâ ſingulæ artes, & ſcientiæ, quæ ſuæ ſunt utilitatis, excerpunt. Sic hiſtoria naturalis, & vituperio & laude dignum, notiſſimum aſinum, capram diverſicolorem, vivax, lascivum, vagabundum animal; vaccam œconomiæ campeſtris ſulcrum deſcribit.

Medicina

Medicina lac asininum tenuitate, & saporis dulcedine ad humanum propius accedere; caprinum proxime succedere; spissius esse vaccinum, experta diversis usibus impendit. Illa Amphybium (in desertis maxime) sociabile, perquam inindustrium architectum, republicanum animal, Fibrum, mirosque ejus instinctus pingit; hæc ex inguinibus deglubit amarum, nauseosum, fœtidum, ad usus Medicos perquam utile castoreum.

Felium Zibethinarum agilitatem, venationem, habitationes & mores observat illa; dum hæc ex speciali marsupio surripit pretiosum Zibethum.

Illa dat historiam Gazellarum, Antilopum, moschiferorum animalium, eorumque species distinguit; hæc ex ventrali eorum vesiculâ odoratissimum moschum colligit.

Illa viperam, viviparam, venenato dente horridam noscere, & à minus nocente colubro oviparo distinguere docet; hæc totam in medicamen convertit.

Cantharidum vesicantium prolixam illa tribuit descriptionem, & characteristicam à reliquis speciebus minus usualibus differentiam; corpori humano applicatas mira præstare gaudet medicina.

Loricati millepedum insecti indolem & mores historiæ naturali debemus; virtutes medicinæ. Illa Arteriotomæ hirudinis innocuam speciem pingendo, ab ea (cujus morsus venenum habet) utilissime dirimit, hanc creberrimo usu probatam variis in morbis non sine fructu applicat medicina. Mirificam maximè solertis, & laboriosæ Apum reipublicæ œconomiam enarrat illa; medicina laborum fructus, propolim, mel, & ceram seligit, suisque usibus accommodat.

Ultra limites propositos exspatiarer, si innumera, quæ huc recenseri possent, quæ ex historia naturali in medicinam emanant commoda, ultro prosequi vellem; sed & sua illi ubertim reddidit medicina.

Manca certe fuisset naturæ historia, si Præsidem ejus, & Dominum, quæque ejus conservationem concernunt, non complecteretur, cum omnia propter hominem creata esse, credendum sit.

Magnum hoc, & utilissimum momentum medicina experiundo compilavit, eo-

que

que hiſtoriæ naturali complementum addidit. Quanta in animali regno, magnum illud & inevitabile artis medicæ fundamentum Anatomia, tam in hominibus, quam in brutis inſtituta non contulit? Hac enim duce excellens Medicorum par, alter Britaniæ decus æternum *Harvæus*, alter Italiæ ocellus *Malpighius*, totum hoc regnum quaſi reformavit, dum primus præteritis latentem ſæculis, ſanguinis, & humorum circuitum anatomica & hominum, & animalium luſtratione invictis demonſtraret documentis. Hic, dum mira induſtria, Dedaleæ Pulmonum, & viscerum ſtructuræ ambages reſolveret, liquorum ſemitas, & ſpirituum rivos ſolus fere indicaret; tacendo attentos ſubſecutorum anatomicorum labores, plurimosque in utramque amicam inde natos fructus, quarum meſſem recentiores, & hiſtoriæ naturalis, & medicinæ amatores ſpeciali brachio colligunt, mirantur, & uſurpant.

En reciprocam in Zoologicis ambarum amicitiam & connubium. Quam innumera ſuæ claſſis, & prolis non offerunt amœna regni vegetabilis viridaria? dum materiam medicam diverſarum virtutum radicibus, foliis, ſummitatibus, turionibus, floribus, ſeminibus ſaluberrimis exornant; nucleos, baccas, fructus, pulpas varias, & cortices porrigunt, ligna diverſa, viscos, gummata, reſinas & plura alia divite copiæ cornu funduut.

Hæc vegetabilium penus vitæ pabula, benigna medicamina, ſed venena itidem præſentiſſima promit, quorum characteres ſola docet hiſtoria naturalis: quis autem imperitus medicamina ſimplicia, bona à pravis, ſincera & genuina ab adulteratis, factitiis, aut enervatis internoscere, imo vel etiam cavere poterit, ne ipſi quid pro quo exhibeatur?

Cicutæ, phellandrii, apii paluſtris, allarumque umbellatarum acrimoniam intendi, in humidis dum creſcunt; illarum econtra vim deleteriam in ſiccioribus ita imminui, ut dulces planè evadant, & edules, quis niſi hiſtoriæ naturalis peritus didicerit.

Quæ alia ſcientia lethalem cicutam à ſalutari petroſelino, à decantatis Hellebori radicibus exitiale Aconitum, aut urentem flavæ Iridis ſtirpem ab utiliſſimo Acoro diſtinguet?

Neglectui culturæ divini hujus ſtudii, magna ex parte imputandum, quod indigena

gena pleraque nos lateant medicamina, eaque ad endemios nobis morbos ex remotiſſimis orbis plagis petere debeamus; cum tamen, ut quælibet Regio ſuos patitur morbos, ita & ſua proferre remedia, conſtantem à ſapientiſſimo Creatore Naturæ Analogiam rimantibus divinari liceat: videmus enim ſummam numinis providentiam pluribus Regionibus, ad ſuos morbos, ſuas non tantum dediſſe plantas, verum & quodlibet anni tempus ejusdem etiam Regionis, eas producere, quæ morbis à tempeſtate mutata oriundis optime conveniunt. Sic Arctico Polo ſubjacentes pleræque Regiones ſcorbutum generant, & omnes fere quas habent Rupes, herba cochlearia intermiſta, acetoſa ornatas, ſi non obtectas gerunt. Lapponia Regio nec ſcorbutum, nec cochleariam novit. Meridionalis America intermittentium febrium omnium feraciſſima, maximum harum domitorem profert corticem, cui Peruviana Nomen dedit Regio. Aduſta Africæ Æthiopia inter alia Tamarindos fert, ut æſtuantia illa habitantes loca haberent, unde calore illo urente inflammati ſanguinis fervorem compeſcerent. Noſtris in Regionibus ver herbas producit antiſcorbuticas potiſſimum, & ſaponaceas, ad tædioſæ hyemis languore lentos & inſpiſſatos humores ſolvendos; æſtas fructus fert antiphlogiſticos præcipue morbis calidis, & ex putredine oriundis nobis hoc tempore frequentibus oppoſitos; Autumnus præcipue herbas & fructus maturat aromatico-ſaponaceas, ut autumnale & hyemale frigus indeque metuendi pellerentur morbi.

Tertium minerale ſcilicet Regnum ſuccinctâ brevitate luſtrabo. Fœcunda quidem & in hoc regno natura, plurima tamen chemicâ egent Encheireſi, qua corporum interiora penetrari, decomponi, analizari, indeque proprietates & chemicæ & medicæ inveniri queant, ſuas tamen, & ex hoc utilitates promit medicina.

Ex argento Lunam hydragogam, igneum gehennæ lapidem &c. totum medicamentoſum aperitivum, & roborans ferrum; refrigerans, exſiccans, repellens, & adſtringens Plumbum; antivenereum & antihelminticum Mercurium; antimonium, & ejus præparata, ſulphura, tincturas, & multa alia energica medicamina, quæ in applicatione cautelas, adeoque præciſam ſui notitiam exigunt ex unica Natnræ hiſtoria petendam, & exſpectandam.

Sed non acquievit in medicaminum deſcriptione ſola benigna naturæ hiſtoria,

 largitur

largitur ultro eorum, ſine quibus vita hominis ſubſiſtere nequit hiſtorias aëris, potulentorum & alimentorum.

Aër fluidum illud mobile, quod continuo reſpiramus, quo ambimur, uti chaos rerum omnium volatilium, quæ ex vegetabili, animali, foſſilique regno jugiter exhalant, exhibet; ita naturæ noſtræ interdum proficuus non horum ſolum ratione, non raro quoque noxius, imo peſtifer fieri poteſt. Sed & ipſe non ſat renovatus, non motus, corruptus nocet.

Quid ſylvæ in Græciâ conflagratæ; in ſurinamenſi colonia caſſæ & deletæ; in Guinea è contrario plantatæ ac cultæ; armatis in navibus, Noſocomiis ventilationes, aliisque in locis alii aëris qualitates mutandi modi, ad ſalubritatem contulerint ex naturali ſola aëris hiſtoria depromi poteſt.

Alimentis quoque & potulentis carere non poteſt homo, ita enim factum eſt corpus humanum, ut propriis ſeſe ipſum deſtrueret actionibus, niſi blando reficeretur nutrimento, dumque per motum ipſum, quo vita ſuſtinetur, & viget, humores acres fiunt, & depravati, certam corpori ruinam inferrent, niſi blando potu acrimonia dilueretur.

Alimentorum abundantiam bina naturæ regna, animale & vegetabile, ubertim largiuntur uſu comprobata. Nec in potulentis deficit natura, quorum vero noxas & commoda uti & creatarum, quotquot demum ſunt, rerum hominem cingentium, eique ſociarum naturam, & peculiares dotes, non mentis acutiſſimæ etiam ſpeculationibus, neque luxuriantis ingenii viribus detegi, ſed ex ipſo naturæ libro ſolo, fidiſſimâ hiſtoriâ naturali magiſtrâ poſſe edisci, quilibet judicare poterit.

Solius naturæ librum evolvendo, hac ſola ductrice, hujus indefeſſus cultor, immortale noſtri ævi decus, & futurorum admiratio *Boerhaavius* exſuperavit omnes, & hanc premens viam, alios omnes, quotquot ante illum medicinæ operam dederunt unquam, longe poſt ſe reliquit, ita ut verus medicinæ reformator dici mereatur: huic enim viro, naturæ & hiſtoriæ naturalis verè ſtudioſo, inprimis debemus, quod vitæ & ſanitatis naturam & cauſas perſpiciamus, veras functionum rationes intelligamus, quod morborum veras notiones, medicaminum

minum vires insitas, verorum & efficacium notitiam, & à terribili ambagum labyrintho repurgatæ medicinæ facilem habeamus simplicitatem.

Historiæ itaque naturalis cum medicinâ non vanum speculatorium aut expetitum, sed amicum verum, necessarium, connubiale esse consortium me sufficienter demonstrasse confido, quod erat primum thematis resolvendi punctum.

Altera pensi propositi pars demonstrandum exigit amicum medicinæ cum mathesi connubium; strictissimum illud esse, & indissolubile brevibus evincere contendam.

Universæ medicinæ scopus est, aut vitam conservare sanam, aut ægram pristinæ restituere salubritati; sanitatem igitur novisse eum oportet, qui recessum ab eâ, id est morbum indagare, perspicere cogitat & metiri; hunc Pathologia, illam exponit Physiologia, hæc solidissima quidem medicinæ fundamenta substernit, sed & sua ex aliis disciplinis (quarum proinde notitiam præviam requirit) mutuatur, ita præter exactam Anatomiæ scientiam, cognitas supponit ex physicis generales & particulares corporum proprietates, leges motûs, gravitatis, attractionis, elasticitatis, inertiæ, electricitatis; fluida enim & solida nostri corporis utì generales aliorum corporum proprietates habent, ita iisdemque motûs legibus subjici palam est; Noscenda ergo omnia ea, & in medicina applicanda, quæ Physici de generalibus corporum attributis demonstrant. Quis intelliget arteriarum actiones, nisi noverit leges corporum elasticorum? quis phœnomena in corpore humano obvia (à generalibus qualitatibus solis deducenda) sine prævia attributorum generalium notitiâ concipiet? oportere igitur physicam medicinæ non utiliter tantum, sed necessario jungi, imo ipsam medicinam potissima sui parte non esse nisi corporis humani physicam afferere audeo.

Præter physicam supponit & physiologia virium motricium diversa momenta ex mechanicis; plurimæ enim dantur in corpore nostro machinæ, quæ & mechanicis reguntur legibus, tota namque earum vis in eo, quem producunt motu, sita est, eumque secundum leges mechanices universales fieri videmus.

Fulcimenta & *Columnas*, toti corpori pedes extremi & tibiarum ossa; capiti & partibus annexis, spina dorsi suppeditant; musculo glutæo trochanter major,

 iliaco

iliaco interno ſinus offis ileum, tibiæ extenſoribus patella, oſſium articuli, oſſa ſeſamoidea, olecrana, tot *Hypomochlia* præbent. Quotquot ſunt oſſa longa musculis longis appenſa, *Vectes*; & quidem homodromos, ut maſſeter, aut heterodromos, ut Sterno-maſtoideus & extenſores genuum, exhibent. Dentes inciſores in lineam ſcindentem, & canini in apicem terminati, dant *cuneos*. Annulus pro musculo ſuperiore oculi, ſinus ſub hamulo pterygoideo pro circumflexo palati, ligamenta manuum & pedum annularia, pro tendinibus ſub his coercitis, *Trochlearum* officio funguntur.

An non in homine omnes musculorum tendines veri *Funes*? dum id in corpore humano præſtant, quod in mechanicis chordæ.

Ut *præla* agunt maxillæ incredibili vi ſibi appreſſæ, cibos & præduros nucleos conterentes; diaphragma cum muſculis abdominalibus, queis contra ſe mutuo agentibus, viſcera abdominalia premuntur, preſſione certè utili, qua ſanguinis venoſi reditus, Chyli iter, alvi & urinæ excretio, partus ipſe promoventur.

Enumerata & plura alia in corpore inſtrumenta demonſtrat anatome, demonſtrat eadem horum firmitatem, ſitum, nexum, figuram, nullatenus autem proprietatem & uſum. Soli Mechanici ſolum objectum hìc agnoſcunt, neque aliud in toto, quà ſolidum eſt, corpore quidquam datur.

Illi ergo ſoli audiendi, horum effata ſolum conſulenda, eorum principia ſolum imploranda, horum methodus ſolum adhibenda, ubi de effectu organi perſpecti quæritur, ſola erit firma, quæ à perito in his magiſtro profertur demonſtratio.

Perſpectas ultro ſupponit Phyſiologia leges fluidorum, ſeu ſtagnantium, ſeu per tubos fluentium, ex hydraulicis, hydroſtaticis.

Illa Matheſeos pars, quæ generales omnium fluidorum proprietates conſiderat, Hydroſtatica vocatur.

Uti adeò humores corporis noſtri generalibus his gaudent proprietatibus, æque ac omnia alia fluida, aqua, vinum, ſpiritus vini &c. Ita quidquid de gravitate fluidorum, de minutie particularum, harum mobilitate, elaſticitate, & figura dicit hydroſtatica, id etiam de noſtri corporis fluidis valebit; unde & ex hujus regulis attributa fluidorum noſtrorum explicanda erunt & cognoſcenda.

Hydrau-

Hydraulica illa ſcientia dicitur, quæ leges docet, fluidorumque per canales definitos motorum phœnomena explicat, ſed fluida corporis noſtri moventur per canales, & quidem determinatæ figuræ, eſt ergo corpus noſtrum vera machina hydraulica, in qua non interrupto motu, maxima celeritate, in circulum eunt, redeuntque diverſi humores, nec & ſua ipſi deſunt inſtrumenta, cor vera antlia ſanguinem ſuis cavitatibus receptum, vi maxima per canales arterioſos projicit, ad diſſitiſſimas partes, dum valvulæ cordis arteriarum æque ac venarum ejus regreſſum impediunt, hæ adeoque eundem prorſus in noſtro corpore, quem in machinis hydraulicis uſum præſtant. Antliæ huic duplici bini appenduntur canales conici, elaſtici, inflexi, ita diviſi, & ſubdiviſi, ut demum præ tenuitate viſus aciem fugiant, nec ulla vel minima corporis particula ſuperſit, quæ non vecto ab his vitali liquido irrigetur. Quos deſcripſi canales, arterias eſſe, quilibet videt, quarum ſcientia cognitionem ferè totius corporis involvit; ex his naſcuntur tubi cylindrici, arcti adeo, ut rubras cruoris ſphæras, tenuioribus tantum; & excoloribus ſanguinis partibus admiſſis, repellant.

En *cribra*, en *filtra*! eædem rurſus arteriæ truncos, vaſis lymphaticis ampliores, craſſiores, rubrumque ſanguinem ſero liquidiori orbatum vehentes recto decurſu porrigunt. Ecce venarum genuinam originem, quarum anguſtam primo cavitatem mox ampliavit affuſa undique nova per laterales fiſtulas liquidi venoſi, lymphaticique moles; ut modo venæ, novo arterioſo ſimilem, eique ad vertices oppoſitum conum repræſentent, & novam antliam valvuloſam, quæ ſanguinem, & reliquos humores contra propriam eorum gravitatem, ſurſum movet, ventriculo cordis dextro reinfundendos.

Leges igitur ſtaticæ, hydroſtaticæ, hydraulicæ, & quidquid ad mechanicam pertinet, Medico ſcitu neceſſarias eſſe palam eſt. Nihilominus tamen hæc omnia ſufficiunt, omnes enim hæ demonſtrationes eo ſolum collimant, ut generales & communes omnibus fluidis proprietates, actiones & paſſiones exponant, non vero peculiares, quæ fluidis & ſolidis humanis tantum conveniunt; alio hinc experimentorum genere deſuper imbutum eſſe Medicum oportet, quæ ſingulorum noſtrorum humorum, & ſolidarum partium doceant indolem; ſpecialibus enim gaudent proprietatibus, quæ aliis in fluidis non reperiuntur, adeoque ex generalibus fluidorum attributis repeti non poſſunt; quantum enim non differt ſanguis ab omni alio

fluido?

fluido? hic à Bile, Bilis à Lympha? &c. Hinc omnino præter generalia illa phyſicis iterum & chemicis experimentis opus eſt, per quæ peculiaria corporum attributa innoteſcant.

Demum Medicina ſupponit præcognitas Leges reflexionis, refractionis materiæ luminoſæ ex catoptricis, dioptricis, & leges aëris ſonori ex phonurgicis. Quis enim catoptricam & dioptricam ignorans luminis vias, refractiones, reflexiones, quis tot objectorum viſibilium coloratos penicillos, diſperſorum collectiones, eorumque in retinâ picturas, quis viſionem capiet, ejusque modificationes? non hæc oculus ipſe, non ſimplex illa corneæ figura, non aqua, qua turgere oculum docet diſſectio, non lentis cryſtallinæ, non vitrei humoris determinata ſuperficies, non definita ſpiſſitudo docebunt.

Quid auris externi helices, quid meatûs Auditorii arctior & inflexa, in medio, latior ad utrum extremum via facit ad exceptionem & directionem Radii ſonori? conſideremus membranæ tympani tenuitatem, figuram ejus ellypticam, verſus interiora oſſis Petræ convexam, hujus mutabilem in varias curvaturæ figuras formam ope affixi ſuoque malleoli muſculo agitati, quis effectus conſtantiſſimæ hujus tamque operoſæ fabricæ? quæ Dedalei Labyrinthi, Conchæ, Veſtibuli, duplicis in Cochlia turbinata ſpiræ, foraminis ovalis & rotundi, tot miraculorum Mechanicorum ratio & uſus? ſine profunda phonurgiæ ſcientia, ſine Mechanica, ſine ſoni natura, auditum nec capi, nec explicari poſſe, audacter affirmo.

Hæc autem vera eſſe & uſum habere matheſin in medicinâ theoreticâ quisque fatebitur; parum tamen bonæ frugis practicæ afferre pervulgata objicitur querela.

Quæ quidem ſpecioſa hac diſtinctione prolata, quomodo conſiſtere queant, non video. Neque enim aliam hos intelligere theoriam credo, niſi eam, quæ ex proximis cauſis clarè docet, quæ ſani hominis vita ſit. Quod ſi, ut opportet, admittitur, ſequetur, ſcientiam hanc noſcendis, curandisque morbis auxilia ſuppeditare optima. Cauſas enim, qui rectè novit perfectæ ſanitatis, ille quoties hæ deficiunt, egregie ipſius defectus, id eſt morbi originem, rationemque comprehendet, qui autem cauſam ægritudinis proximam clariſſime vidit, maximè is idoneus, qui ei occurrat, eſt habendus.

Eodem

Eodem ſcilicet modo ſe res habet ac in horologio, cujus, ſi deviat index, errores imperitus notare, at corrigere ex arte nemo poteſt, niſi ille, qui requiſitæ ſtructuræ gnarus, vitia partium, hinc & remedia invenit, ita nulla lucis ſcintilla in theoria medica micat, ad quam in facienda Medicina, facem accendere non poſſit rei peritus Artifex.

Adeoque qui Matheſeos in ſpeculatione utilitatem concedunt, illi ejus in uſu præſtantiam fateri debebunt, & neceſſarium, & amicum, quod demonſtrandum erat, Matheſeos cum Medicina connubium agnoſcere.

Nitide, eleganter, magiſtraliter docuiſti, Vir Perilluſtris, Expertiſſime, ac Celeberrime, toties victor, quoties in arenam deſcendiſti; expoſuiſti adeo arctum & neceſſarium eſſe nexum Apollineam Artem inter & Matheſin, Hiſtoriamque naturalem, ut illa ſine hujus ope tuta ſubſiſtere non poſſit.

SECUNDUS Dominus Laureæ Doctoralis Candidatus fœliciſſimâ & luculentâ Praxi inclitus pro ſuâ, quâ pollet, facundiâ oſtendat, neceſſariam eſſe cognitionem Veritatum Anatomicarum, Phyſiologicarum, & Medicarum in Jure naturali, civili, & criminali, præſertim in illis caſibus, ubi intercedit dubius mentis & corporis ſtatus.

Juſſa tua lætus exequor Vir præſtantiſſime! Medicina, cujus Nobilitatem, Utilitatemque divinæ Inventioni conſecravit Antiquitas, inter primævos Parentes nata, ab ipſo dein Aſſyrio Rege Horo, Regibúsque Ægyptiacis, ruditer licet, culta & exercita, poſterioribus ſæculis creſcens, noſtris tandem temporibus in evectum ſatis perfectionis gradum adolevit, ſemper & ubique neceſſaria, communi hominum Bono inſerviens, ſine quo & delicias, & immenſa Bona, & ipſam vitam nonniſi odioſum quid moleſtúmque eſſe clamat gemebundus æger, inſerviens inquam exoptatiſſimæ hominis ſanitati.

Communem quietem, tranquillitatemque cuſtodit Legum ſacroſancta Majeſtas, quam, quis eſt tam projectus, ut non revereatur? non humano conſilio latæ ſunt leges, neque hominum authoritate ſancitæ, ſed æternæ divinæque mentis conſilio ac poteſtate. Sine Legum Præſidio publica ac privata omnia occupabunt Rapinæ,

Sacri-

Sacrilegia, Cædes, Insidiæ, Stupra, Crudelitas, Furor. Sola enim Vis & Improbitas, sola Libido & Audacia debacchabitur ubique. Quare ii, quibus Legum Scientia & Authoritas est, Juris Sacerdotes, Patriæ Patres, Columina Reipublicæ meritò appellantur.

Adeóque Medicinæ & Jurisprudentiæ diversos utique fines esse, sanitatem videlicet, & tranquillitatem, clarè patet.

Fuit nihilominus ambas inter hasce scientias proxima semper Affinitas. Indissolubili vinculo nectere voluit justitia filiam suam, ei Hygieiæ; hæ itaque ùt sorores, mutuis amplexibus ad se invicem ruentes, casto veritatis osculo salutarunt se sæpissime. Nata hinc est *Medicina Forensis*, seu *Jurisprudentia Medica*, primò à Codronchio in methodo testificandi, sub finem Sæculi 16ti in systema redacta, dein à Paulo Zacchia Sæculo 17mo incrementa capiens, hâc vero ætate maxime exculta prostans.

Quod Affinitatis Schema Vobis, Spectatissimi A. A. hodie ob oculos ponam, dum Præstantissimus Dominus Promotor vult, ut ostendam *Necessitatem Veritatum Anatomicarum, Physiologicarum, in Jure naturali, civili, criminali, præsertim iis in casibus, ubi dubius intercedit mentis & corporis status.*

Hanc itaque necessitatem ostendam 1mò: *in Jure naturali*, quod à defuncto Consultissimo Domino, Civitatis hujus olim Syndico ab Hamm, cujus pios Manes venerantur adhuc & Universitas, & Respublica, in Prodromo suo ad Hugon. Grotium de Jure Belli & Pacis §. 121. definitur: *Ordinatio divinæ Sapientiæ, ut Auctoris Naturæ, per dictamen Syntheresis homini quà tali, manifestata, præcipiens ea, quæ Bono universali Naturæ sunt necessaria & debita, & prohibens contraria.* Contrariantur verò huic *Ordinationi* Homicidia, Suicidia, Sodomia, Onania. I. In casu Homicidii, Judices, antequam de pœna percussoribus infligenda decernant, solent Medicis ac Chirurgis committere curam, ut in cadavere occisi veram mortis causam inquirant. Hi facta Inquisitione in figuram & magnitudinem instrumenti vulnerantis; in situm vulnerati & vulnerantis, dum vulnus infligebatur; in symptomata omnia, quæ vulnus inflictum secuta sunt; in omnia ea, quæ vulnerato applicata fuerunt; denique in læsas corporis ex- & internas partes, tandem ex Anatomes

tomes & Physiologices principiis renuntiant, an mors secuta adscribi debeat vulneri inflicto, ut causæ, an non. Pariter Medicus cruentationem cadaverum, ut fallax præsentis homicidæ indicium, judici tutò sistit, nam sanguis à cadavere occisi non ideo manat, quod præsens est occisor; neque cadaver occisi, si sanguinem fundit coram occisore, eum fundit per Antipathiam, aut propter spirituum inimicitias, aut propter reliquias animæ humanæ, aut propter imaginationem occisoris. Imo nec Deus, nec Diabolus hunc effectum ordinarie producit. Sed corpus cum vindicta mortuum & occisum, naturaliter sanguinem stillare potest, præsente vel absente interfectore, etiam, quamvis raro fiat, si per hebdomadas quasdam asservetur. II. Suspensum in fune repertum, insontem aut suicidii reum declarabit probabilis conjectura Medici, totum circa corpus delicti apparatum, Cartilagines Larygis, vim in constrictione funis adhibitam, scrupulosè indagantis. Ejus, qui mortuus suspensus est, collum, lividum illum circulum, quacunque arte indelebilem, nunquam exhibebit; nec vasa mesenterii, & intestinorum reperientur turgida, distenta, infarcta cruore. Quod in suspensis observavit *Acad. Scient. Paris.* item *Cl. Ant. de Haen.* III. In illud crimen, quod à scelestissimis hominum, naturâ abutentibus, in masculos patratur, à legibus summo cum rigore animadvertitur. In ejus autem delicti examine, ut de veritate judex certior fiat, Medicos adhibet, qui ex intertrigine, inflammatione, procidentia, exulceratione, ficubus, fissuris, prægressum, repetitumque sodomiticum congressum colligunt, & ad judicem deferunt. IV. Pessundat omnia sanitatem, conjugalem concordiam, propagationem speciei, adeóque directè lædit *ordinationem divinæ sapientiæ.* Et in hanc causam, ubi coram judice de impotentia conjugali virorum agitur, præprimis inquirat medicus; dumque detexit, summa cum difficultate sanabile esse hoc vitium, referet.

Transeo ad alteram argumenti partem, quæ demonstrandam continet necessitatem veritatum anatomicarum &c. *in jure civili.* Hujus juris species & exemplum est *Lex* seu *Præceptum universale & justum legitimi superioris subditis debite promulgatum, quo aut aliquid præcipitur aut vetatur.* Ego hic eas tantummodo leges proponendas habeo, quæ neque sine Medicorum consilio dari & stabiliri, neque sine horum judicio, si quis transgressus fuerit, administrari rite possunt. Ampla sane materia: etenim de ætatibus: peste: medicorum erroribus à lege punibilibus: venenorum commercio: aëre, aquis, & locis: primogenitis: extractione

fœtus

fœtus è matre mortua: partu à morte patris: virginitate: imprægnatione occulta: graviditate ſimulata: partu ſuppoſito: politicâ puerperarum curâ: partu ſeptimeſtri: ſuperfœtatione: mola: monſtris: hermaphroditis: morbis ſimulatis, & diſſimulatis hìc agendum. Ex ordine paucis percurram ſingula. I. Quæſtio in jure civili de ætate ſæpe movetur, ratione variorum officiorum exercendorum v. g. quoad ceſſationem tutelæ; tum ratione privilegiorum, & teſtimoniorum. Hinc infans, quia mentis eſt inops, in jure furioſo æquiparatur, adeóque ineptus ad quæcunque civilia negotia gerenda. Ob eandem cauſam puerorum actus, ab ipſorum voluntate pendentes e.g. teſtamentum, teſtimonium non valent, neque obligari illi ad rem aliquam queunt. Puberes, quos morum, vocis, corporis mutatio diſtinguit, integrum quidem, rudem tamen adhuc, & imperfectum rationis uſum habent, egent hinc tutelâ. Juventus, ob robur & corporis & animi in hac ætate maximum, judicatur omnium officiorum capax. Senes, dum vigor corporis animique decrevit, variis gaudent prærogativis: mitius puniuntur, ab oneribus perſonalibus e.g. tutela eximuntur, ob infirmitatem. Ex eadem ratione ii, qui ex morbo aut ſui natura ante tempus feneſcunt, ſenum quoque merentur privilegia, cum ſenilia patiantur incommoda. Decrepitas, licet ab Hippocrate non memorata, à ſenio discernenda, ceſſant enim in illâ & corporis & animi vires. II. Peſte infectos à Magiſtratibus expelli poſſe ex civitate & loco, apud juris conſultos extra dubium eſt. Medicorum vero eſt, peſtem dignoſcere. eandemque legem ad peſte infectos applicabilem eſſe puto, quam Ampliſſimus Senatus Colonienſis A. 1628. in decretis & ſtatutis concernentibus Medicos, Pharmacopæos, Chirurgos, Obſtetrices, circa leproſos dedit. Lege octavâ ita ſcriptum eſt: *Leproſorum examinatio, quæ ante ducentos annos penes facultatem medicam fuit, & hactenus penes eandem ſtetit; eadem & inpoſterum penes eandem ſtabit, ut quos à lepra mundos cenſuerit, mundi, quos immundos judicabit, immundi cenſeantur, & habeantur.* Unde ad ſeparandos à ſanorum civium ſocietate leproſos ſapientiſſimo conſilio exſtructa fuit olim extra civitatem noſtram habitatio, Siech-Hauß dicta; & alia Peſt-Hauß nominata, pro peſte infectis. Quam luem ſi Medici futuram præviderint, Legislatores, ſeu quoscunque Magiſtratus informare oportet, ut Hi communi civium ſaluti, vi legum opportunè proſpiciant. Sic Hippocrates, ſolâ obſervatione in præſagiendo perſpicaciſſimus, conſtitutionem Anni peſtilentem,

lentem, valdeque populariter vulgatam, ex aëris ſtatu auſtrino, calido, humido, nubiloſo, & caliginoſo præviſam, accuratè deſcribit de morb. vulg. lib. 3. ſect. 3. Præſente verò peſtilenti conſtitutione, civitas ab immunditiis undequaque libera ſervetur: mortuorum cadavera ſepeliantur quam citiſſime, altè defodienda: ſupellectilia eorum, qui peſte perierunt, venalia non exponantur, ſed crementur: corrigatur aër per vapores accenſi nitri, pulveris pyrii, aceti, ſalis prunis inſperſi, per ignem nutritum à lignis, ut Hippocrates vult, odoriferis. Exulet triſtitia, hinc publicos muſicorum concentus erigant ſuperiores; permittant quoque honeſtas, ſed & ſimul animum recreantes comœdias. III. Medicum, dum morbos celandos revelat, dum turpis lucri cauſa cum Pharmacopæis contrahit, dum ignorantibus facultatem concedit factitandi medicinam, à lege punibilem eſſe, juſtum eſt. Dum venena propinat, ut necet; dum abortum procurat, ut ſimulatam ſalvet virginitatem, pœnam incurrit, à jure criminali dictandam. IV. Venenorum commercium interdicant Magiſtratus mercatoribus ſic dictis Materialiſtis. Permittere poſſunt Pharmacopæis utpote examinatis, approbatis, & juratis. Et his tamen Ampliſſimum noſtrum Senatum circa venenorum commercium ſacras injunxiſſe leges video in decretis ſupra allatis Lege 6ta. Ad venena jure refero, medicamina illa, quæ ad omne fere morborum genus, turpi ſchedulâ, publice ſed protervè divulgatâ, laudantur. Quantum hæc in doſi, morbo, tempore debitis applicata proſunt, tantum officient, dum ſunt in libera manu rudis vulgi, jurantis in veritatem eorum, quæ execrabilis mentitur ſchedula. V. Integrum librum ſapienter conſcripſit Hippocrates de aëris, aquarum, locorum natutura. Sæpe vero Medicorum jndicium circa hæc à legum peritis exquiritur. Ratione enim ſalubritatis aëris, pluris æſtimatur aliquod caſtrum, prædium, domus, aut fundus, quam alius. Exquiritur quoque, dum dubitatur, an bonarum aquarum penuria ſit juſta cauſa, non reſidendi in aliquo loco; Hippocratis vero authoritate firmatum eſt, plures homines multo magis affici in mutatione locorum, ob aquarum, quam ob aëris qualitatem. Inſuper urgente peſte, ad Gubernatores pertinet de aquarum bonitate ſollicitos eſſe. Plura circa aquas quærit Juriſconſultus, à ſolis Medicis diluenda: quid v. g. pecudum appulſus, quid piſcatio, quid vicinæ cloacæ, quid hauſtus aquæ, qui communiſſima ejus ſervitus eſt, operetur circa bonitatem. Ad loca nunc devenio, quæ incolunt homi-

 nes;

nes; quorum humiliora ſemper editis ac ſublimibus poſthabenda, ſicciora ſalubriora, pejora lacuſtría. Illi, qui montana inhabitant loca, agiles, bene colorati, longævi obſervantur; dum è contra depreſſis & uliginoſis locis viventes plurimis vexantur morbis, & lurido ac triſti vultu teſtantur inſalubritatem loci, quem incolunt. Ill. L. B. van Swiet. Tom. 3. §. 1108. Unde & invenitur Scorbutus apud Britannos, Batavos, Suecos, Danos, Norvegos, Germanos ſeptentrionales ſeu inferiores; attingit adeoque Boreales populos, & frigidiori ſub climate viventes; atque inter hos maxime infeſtat vicinos mari, locis marina aqua ſubmerſis, lacubus, paludibus &c. Boerh. Aph. de cognoſ. & cur. Morb. §. 1150. Plura de his videri poſſunt apud Hippocratem de aëre, aquis, & locis. In locis quoque ventorum & luminis rationem habere oportet; ſic horum reſpectu prohiberi poteſt vicino, ne altius ſuum tollat ædificium, & cogi idem poteſt ad altius tollendum. Cæterum cloacæ, licet ad publicam utilitatem pertineant, quò capaciores ſunt, tantò oneroſiorem, & magis damnoſam ſervitutem inferunt: aquæductus per humiditates, quas ædificiis communicant, moleſti fieri poſſunt: horti exhalationibus venenatarum plantarum, ſtercoratione Galeno teſte, irrigatione continuâ, vicinorum ſanitati officere queunt: Pomaria ſolis impediunt illuſtrationem: Fornaces ad calcem excoquendam conſtructi evaporationibus à calce ſublatis aërem inquinant: ſterquilinia non permittenda, niſi extra habitata loca: exerceantur immundæ artes in locis ſeorſim ab aliis. VI. Non primo conceptus, ſed primò in lucem editus, Prototocus eſt. Si Regina Galliæ, Maria Antonia, Archiduciſſa Auſtriæ, nuper Puerpera, gemellos geſſiſſet Principes, & obiiſſet parturiens, tum vivacior Principum, per ſectionem cæſaream eductorum, jure Delphinatûs gaudere debuiſſet; vivaciorem enim, vi propria juvante, prius in lucem edi potuiſſe, probabile eſt. VII. Conſervatio civis, Principis, privatæ familiæ, & ſucceſſio in bona matris, fecerunt legem numæ Pompilii in Dig. L. XI. Tit. 8. L. 12. mortuas prægnantes, ante exciſionem fœtus, ſepeliri prohibentem. Patet hinc ſectionis cæſareæ in matre mortua neceſſitas. VIII. Si mulier pariat menſibus aliquot à morte Mariti, & fœtus perfectus quidem, at mortuus oſtendatur, juriſconſultorum eſt, decernere, an mater ſuccedere debeat in bonis defuncti Mariti; Medicorum vero, an fœtus vivus prodierit; Hi, ſi ſecundinis incluſus, utero exierit, partum fuiſſe vitalem denunciant, modo teſtes fide digniſſimi obſervaverint prius artuum motum.

tum. Ita P. Camper de ſign. vitæ & mort. neo-natorum. pag. 38. ſi vero absque ſecundinis, tum in pulmones communiter inquiritur, horum autem in aqua ſupernatatio fallax dabit prægreſſæ reſpirationis, adeóque & vitæ indicium, cum aër mortui fœtus pulmonibus inſufflatus, hos quoque ſupernatare faciat. id. pag. 87. IX. Nubilem virginem declarat catameniorum eruptio. Dumque virginem ſe jactat mulier, inquiſitio Medici detegit fraudem, qui virginitatem phyſicam definit: ubi nulla adhuc mentula, vel aliud petulans inſtrumentum clauſtra virginalia fregit. X. Manifeſtat impregnationem, imprimis provectam, quam mulier de abortu & infanticidio procurando cogitans, occultat, motus fœtus, à manu frigidâ, ventri dormientis impoſitâ, excitatus. Excuſabit vero judex errorem Medici, ſi graviditatem in aſciticâ muliere non cognoverit; ejusmodi enim caſus fefellit ipſum Illuſtriſſimum virum, Swietenium, qui id in operibus ſuis publicè confitetur. XI. Sunt & doloſæ mulieres, quæ, ut partum mentiantur, gravidas ſe prædicant, eo fine, ut ſuccedant in bona mariti defuncti. Simulatam vero graviditatem prodet Medicus circumſpectus, imprimis obſtetricans. XII. Partûs ſuppoſiti non adeo certa ſigna ſunt. XIII. Circa politicam puerperarum curam, prudenti lege *Harlemi* (quæ Hollandiæ Urbs eſt) cautum eſſe lego in Ill. L. B. V. Swiet. tom. 4. §. 1327. ne toto puerperii tempore quid fiat, quod neceſſariam puerperæ quietem turbare poſſit. Signum affigitur januæ domûs, in qua decumbit puerpera, quo viſo, non licet lictori, apparitori, vel alii cuicunque juſtitiæ miniſtro, hanc domum ingredi. Tantam respublica curam habendam voluit mulieris, quæ patriæ civem dedit. Pulchrum certè & imitatione dignum exemplum. XIV. Partum ſeptimeſtrem, vitalem eſſe ac legitimum, contra obſtetricantem *Mauriceau* defendendum: *Fortunii* enim *Liceti* mater abortum paſſa fuit: recens natus non ſuperabat palmæ manus magnitudinem. Pater medicus corpusculum fovit in furno tepido, ſimili fere artificio, ac Ægyptii ova tractare ſolent, ut absque incubatu gallinæ pulli excludantur; nutricem inſtruxit de modo alendi; ſic conſervavit filium, multis operibus eruditis poſtea clarum, octogeſimum fere ætatis annum attingentem. id. ibid. §. 1309. Si ergo fœtus tam puſillus educari potuerit, & ad talem pervenerit ætatem, multo magis id de ſeptimeſtri partu ſperari poterit. Interim conſtat ſeptimeſtres plerumque debiles eſſe, & minoris molis; quare ſi qui inter jurisconſultos ſint, qui ſeptimo menſe natos illegitimos

gitimos existiment, id, rogo, non pronuncient de omnibus, ne insonti, propter sontes, fiat injuria. XV. Ne de superfœtatione, molà, monstris, hermaphroditis, morbis simulatis & dissimulatis verba faciam, vetat angustia temporis; neque permittit.

Ut *in Jure criminali*, tanquam in amplo hic dicendi campo, longius excurram: sufficiant pauca, quæ lethalitatem vulnerum, quæstiones, carcerem, abortum vi procuratum, ac infanticidium concernunt: ac I. quidem lethalitatem inflictæ plagæ inevitabilem, vel accidentalem ad judices deferunt Medici, tum Anatomes & Physiologices principiis, tum experientiæ confidentes. Sic mesenterii vulnera pro absolutè lethalibus, sine adjumento repetiti experimenti, habiti primò à Cl. Ruyschio, nunquam declarasset Physiologus; idem vero solius Anatomes ope, resolvet ilico; cur & homo & bos in eo loco, quo caput vertebris colli jungitur, profundè puncti, statim concidant, attoniti quasi, resoluti, exanimes. Rejicitur vero ab omnibus temporis intervallum, quod vulnus inflictum & mortem secutam intercessit, ut limes lethalitatis; etenim arteria major, in brachio vel crure discissa, poterit paucarum horarum spatio, imo & citius, hominem è medio tollere, cum tamen hoc vulnus non absolutè lethale sit; effusus è contra in Calvaria sanguis, non educendus, paucus, potest ibi per septimanas hærere, tandem necare: & tale vulnus jure merito lethale renunciabitur. II. Ad quæstiones progredior: modus extorquendi veritatem delicti à reo, contumaciter negante, fit per *quæstiones*, quæ sunt *modus extraordinarius, mediante quo inquisitus admodum gravatus per varios cruciatus adigitur ad confessionem faciendam delicti ejus, quod ad minimum meretur pœnam corporis afflictivam.* Bœhmer. Introduct. in Jus Digest. Lib. 48. Tit. 18. Sed generatim quidam torqueri prohibentur, ut gravidæ, puerperæ, lactantes, menstruatæ, infantes, decrepiti. Speciatim excipiuntur à tortura *scalæ* pubertati proximi, senes, capitis dolore constanter vexati, vertiginosi, epileptici, ad Leipothymiam dispositi, hydropici, obesi, morbis pectoris laborantes, angina, struma seu scrophulis, inflammatione tonsillarum, parotidum. A tortura Polletri (Daumenstock) Paronychia laborantes. III. Carcer est quædam tormenti species. Causa autem, cur quis in carcere detineatur, vel est civilis, vel criminalis: criminalis item vel est levis, vel gravis, vel gravissima. Eodem modo infirmitas, qua carceratus detineri

potest,

poteſt, vel eſt levis, vel gravis, vel graviſſima. Causâ carceris, & morbo affligente ritè comparatis ad ſe invicem, facile pronunciabit Medicus, an præſens infirmitas ſufficiat ad carceratum excarcerandum; ſufficit in levi cauſa, levis infirmitas; non ſufficit levis in gravi. IV. Abortus primis menſibus factus, vix cognoſci poteſt, ultimis facillime. Cumque in jure ſententia habeatur, inanimati abortum affectatum, capitale haud involvere ſupplicium, ſciendum eſt, fœtum ſemper eſſe animatum, unanimiter omnes hodie ſentire Medicos; quare dicta in jure corruit ſententia. V. In caſu infanticidii, cum ſupponi non poſſit, à matre aut alio quodam, aëreum pulmonibus fœtus fuiſſe inflatum, camper p. 70. hinc vitam prægreſſam docebit, horum in aqua ſupernatatio, quæ probatio eo erit efficacior, quo certius hodie conſtat, putridos etiam pulmones ſubſidere. Id. pag. 62,

An poſt integrum annum, ex ſolis oſſibus fœtus, putrefactis jam omnibus mollibus partibus, patratum infanticium dijudicari & declarari poteſt? in novis actis phyſico-medicis Academiæ Cæſareæ Leopoldino-Carolinæ naturæ curioſorum. Tom. I. pag. 297. lego Cl. Reinmannum, reperientem maculam fuſcam atro rubentem in oſſe bregmatis per integrum annum ſub terra deſoſſi, pronunciante, infantem trucidatum fuiſſe. Ipſius fœminæ occidentis confeſſio hujus viri ſententiam confirmavit.

Sequitur denique ultimum argumenti punctum, proponendos exigens caſus Medico-forenſes, *ubi dubius intercedit mentis & corporis ſtatus.* Exempla certe eorum, qui aquis ſubmerſi, mortui quaſi extracti, juſſu Legislatorum variis experimentis tentati, ad vitam tandem fuêre revocati, ſatis ſuperque docent, non difficile tantum, ſed & impoſſibile plane eſſe, primis à vitalium motuum ceſſatione horis, ſtatuere diſſolutum mentis à corpore nexum. Unicum & infallibile certiſſimæ mortis indicium, fœtor eſt, putredinis ſoboles, quo præſente, dubio non eſt locus. Ut in Lazaro, cujus cadaver jam fœtens Chriſtum miraculoſe ad vitam reduxiſſe teſtantur ſacræ literæ. In Perſia moris eſſe, adnotat Herodotus, mortuum non ante humare, quam aut ab alite, aut à cane trahatur. Sed neque Perſarum morem, neque noſtrum, ſi intra nycthemeri ſpatium cadavera ſepeliamus, laudabilem eſſe, Magiſtratus, quibus & publica & privata ſubditorum ſalus cordi eſt, conſentient omnes.

Et

Et Tu Prænobilis, Expertiſſime ac Celeberrime Domine, ſpartam Tibi concreditam tam ſtrenuè propugnaſti, ut medicarum veritatum in jure dicundo neceſſitas extra omnem dubitationis aleam poſita conſpiciatur.

TERTIUS Dominus Laureâ Doctorali condecorandus Candidatus oſtendat, utiliſſimum Chirurgiæ cum Medicina vinculum, & ſolvet Problemata:

Cum certum, & creberrimis experimentis demonſtratum ſit fœtum poſt mortem matris vivere adhuc poſſe, vixiſſe, imo quandoque genitum fuiſſe, quæritur 1mò: Quænam matres mortuæ Sectione Cæſareâ aperiendæ, ut fœtus ſaltem vitæ ſpirituali ſervetur ſi temporali ſervari non poſſit?

2dò: An omnes gravidæ defunctæ, quocunque graviditatis menſe ſecandæ ſint?

3tiò: Quænam, & quare cautela in hac operatione adhibendæ?

Ordo nunc jubet, ut de utiliſſimo Chirurgiæ cum Medicina nexu verba faciam, cui dein ſolutionem problematum ſubnectam. Illa Medicinæ pars, quæ de externis morbis agit, Chirurgia appellatur, hanc autem Medico utiliſſimam eſſe, docent imprimis morbi, qui quandoque in externis, quandoque in internis corporis partibus occurrunt. Si enim in externis partibus hæreant, ſenſibus omninò patent, & eorum natura facile indagari poterit; ſic autem occaſionem præbent medico eoſdem in interno corpore latentes diſtinctius cognoſcendi, & facilius curandi, eadem enim ubique eſt natura mali, eadem curatio. Manifeſtum hujus aſſerti exemplum eſt inflammatio, græcis phlegmone, quæ definitur, quod ſit tumor præternaturalis, renitens, durus, ruber, calens, cum dolore punctorio, & febre plerumque comite; & cujus naturam conſtituit ſanguinis rubri in minimis vaſculis convergentibus ſtagnantis preſſio, & attritus à motu reliqui ſanguinis moti, & per febrim fortius acti. Cauſæ autem inflammationis ſunt, quæ vel ſanguinem nimis condenſant, vel minimorum vaſorum extremitates coarctant ita, ut per illas ſanguis ultra tranſire non poſſit. Hæc ergo inflammatio, ſi externam corporis partem occupet, prædicta illa phœnomena manifeſte obſervari poſſunt: ſic ſi dorſum manus v. g. igni admoveatur, incipiet oriri calor, deinde pars magis rubebit, ſi propius adhuc admoveatur, tumor fiet renitens cum dolore,

&

& pulsûs robur & celeritas augebuntur in toto corpore, vel ſaltem in parte affectâ, hoc eſt, accedet febris topica vel univerſalis, quæ omnia augentur, prout increſcit malum; atque ex his ſignis intelligimus adeſſe inflammationem. Si jam homo ſaniſſimus poſt vehementem motum toto corpore calefactus nudum pectus ſubito aëri frigidiori expoſuerit, orietur inter coſtas dolor acutiſſimus, ad minimam inſpirationem auctus cum febre ſatis valida. Novimus in hoc caſu magno calore & violento corporis motu dilatata vaſa per ſubitum frigus ſuccedens conſtringi, hinc ſanguinem, cujus moleculæ prægreſſo motu & calore magis adunatæ redditæ in ultimis vaſorum contractorum anguſtiis immeabilem hærere; concurrere ergo binas præcipuas inflammationis cauſas, ſcilicet ſanguinem nimis compactum, & vaſa coarctata; obſervamus quoque dolorem illum acutum pectoris augeri, dum thorax in inſpiratione dilatatur, ſicuti dolor inflammatæ manûs ad minimum ejus motum vehementer intenditur, febrim præterea ſatis validam hunc morbum comitari, merito ergo concludimus, cum locus affectus inflammationi ſuſcipiendi aptus ſit, eandem hìc præſentem eſſe, quamvis etiam nullus tumor vel rubor appareat, ſiquidem nimis profundè hæreat malum. Deinde exitus hujus morbi omnino iidem ſunt, ac in aliis inflammationibus externarum corporis partium, vel enim à vita ſuperſtite, & idoneis remediis adhibitis immeabilis materia in vaſis obſtructis hærens ſic ſolvitur, vel vaſa, in quibus hæret, ſic diſponuntur, ut tranſire poſſit illud immeabile in venas, vel retropelli in majora vaſa, ſic ut, manente integritate vaſorum, liber reſtituatur per vaſa antea impervia circuitus humorum, & concretum fluidum nunc ſolutum, humoribus circulantibus miſtum, ſine impedimento tranſire poſſit per illas anguſtias, quas ſecundum ſanitatis leges pervadere debet, dicitur *Reſolutio.* Vel obſtruentes ſanguinis moleculæ vaſorum convergentium finibus adeo impactæ hærent, ut neque transprimi in venas, neque retropelli poſſint in latiorem vaſis locum; Sanguis ergo à tergo urgens, aucta per febrim comitem celeritate, ſingulis cordis ictibus pellitur in hunc locum obſtructum, unde continua hac arctatione diſtenta ante locum obſtructum tenerrima vaſa divelluntur, & ſeparantur à reliqua parte vaſis, effuſi ex rupto vaſe humores calore loci ſolvuntur, incipiuntque quaſi ſubputrescere, abrupta minima vascula pariter atteruntur, dividuntur, & cum liquidis effuſis abeunt in album homogeneum liquidum, attactu pingue, ſpiſſitu-

dine fere lactis cremorem referens, pus dictum, vocatur hic exitus *Suppuratio.* Vel demum in vehementiſſimâ inflammatione omnis liquidorum motus in parte affecta ſuffocatur omnino, ruptis ſubito vasculis; Liquida ergo effluunt, quæ ſpontaneâ mutatione corrumpuntur, & quidem ſatis celeriter, cum magnus calor validæ inflammationis comes putredini producendæ faveat quam maximè. Incipit ſumma cuticula à ſubjecta cute recedere, & attolli in bullas ichore ſubrubello, vel flavâ tenui ſanie plenas: ſplendens inflammatæ partis rubedo mutatur in colorem cinereum, pallidum, fuſcum, nigrum tandem; dolor, calor & pulſatio deſinunt, & omnia phœnomena inflammationis abolentur, tertius eſt exitus inflammationis *Gangræna*; hæc ergo ſi inflammationem partis externæ ſequatur, ex allatis his ſignis facile cognoſcitur. Similia fere phœnomena obſervantur, ſi inflammatio partis internæ in Gangrænam tranſit, equidem mutatio coloris videri non poterit, reliquorum tamen ſymptomatum remiſſio ſine bonis ſignis prægreſſis, & imprimis ſubita doloris ceſſatio funeſtum hunc morbi exitum declarant. Conveniunt itaque morbi phœnomena & exitus, ſive internam, ſive externam corporis partem afficiat, eadem eſt medendi methodus, reſolutionem enim quæcunque pars inflammata fuerit, ſemper tentamus, ſola diverſitas pendet tantum à varia functione partium affectarum: ſic in inflammatione diaphragmatis riſus ſardonius, in ventriculi inflammatione vomitus dolentiſſimus ab omni ingeſto, & ſi cerebri membranæ affectæ ſint, ferox & perpetuum delirium oriuntur, eodem modo in inflammatione manûs facilis digitorum motus impeditur. Plures ſic morbos recenſere poſſem ad confirmandam propoſiti veritatem, ſed hìc pro exemplo ſufficiat, quod nullus veram morborum internorum ideam ſibi formare, neque eosdem rite curare, nihilque in praxi medica proficere poſſit, qui plenam non habuerit morborum externorum cognitionem, adeoque utiliſſimum eſſe Chirurgiæ cum Medicina nexum.

His præmiſſis ad Problemata tranſeo, quorum tamen ſolutio neceſſario præſupponit cognitionem illius temporis, quando fœtus in utero humano anima rationali informatur, ut inde firma regula haberi poſſit, quo ſcilicet, & an in omni menſe graviditatis defunctam matrem ſecare oporteat, ad baptizandum fœtum. Interim hoc valde abſtruſum naturæ myſterium eſſe, nemo eſt, qui ignorabit,

bit, cum & præstantissimi nonnulli Philosophi in illo indagando animo & spe omnino defecerint, operæ ergo pretium videtur paucis examinare, quale tempus animationis veteres, quale recentiores, & quibuscum rationum fundamentis determinaverint.

Mitto autem illorum opinionem, qui animam nostram rationalem ex Adæ anima tanquam à stipite per semen, uti vites propagantur ex traduce, derivarunt, cum hodie constet, animas non educi, sed ex nihilo creari, incertum solummodo est tempus hujus creationis; itaque alii animas cum suis corporibus à mundi initio creatas, omnes ergo homunculos in Adami lumbis inclusos fuisse somniarunt, singulis homunculis minimorum vermiculorum instar alios intra se minores, & minores ordinatâ serie continentibus, & sicuti corporis partes in utero matris sensim explicantur, sic etiam animam cum suis partibus debito tempore emergere. Leibnizius ait: animas istas interea vitâ animali vivere, usque quo Deus illas ratione donaverit, quod *Transcreationem* vocat; Wolffius ait: illas manere in statu idearum confusarum. Sed merito nimis verminosam hanc sententiam dicit Zwingerius, eos vero, qui in illa defendenda laborarunt, vermiculoso conatu id satagisse. Alii animam infundi crediderunt, dum formatis jam & adauctis omnibus corporis partibus fœtus nascitur & respirare incipit; eundem autem in utero matris hærentem neque internorum neque externorum sensuum usum, neque organa satis adhuc completa habere. Imo cum hi majorem, illi minorem organorum perfectionem requiri judicaverint ad hoc, ut anima omnes suas functiones debito modo exercere posset, quidam è Stoicis imprimis, eo usque tandem devenerunt, ut immissionem animæ rationalis ad pubertatem ipsam rejecerint. Verum hoc manifeste repugnat sacris litteris enarrantibus, Sanctum Joannem Baptistam adhuc semestrem exultasse in utero; quod evidens argumentum est, eundem tunc modo anima sanctificantis gratiæ capaci præditum fuisse.

Aristoteles autem, quam cum divo *Thoma*, omnes Scholastici insequebantur, docuit, animæ immissionem fieri, quando jam omnes fœtus partes distinctæ & conformatæ, licet ad nativitatem nondum satis perfectæ essent, hanc autem formationem & consequenter animationem *Aristoteles* ipse in maribus quadragesimo, in femellis octogesimo vel nonagesimo die, quidam ex Aristotelicis illam septua-

gesimo, sexagesimo, trigesimo die posuerunt. Fœtus autem quem Aristoteles quadragesimo die formatum, magnitudine majorem tantum formicam æquare dicit, sine dubio paucos tantum dies non vero quadraginta numeravit, etenim Cl. *Bianchi* triginta duorum admodum dierum embryonem vidit, de cujus ætate dubitari non poterat, fere ovo gallinaceo parem. Et Petrus *Gassendus* fœtum memorat, qui dierum certo duodecim jam formatus erat à summo capite ad pedum digitos. Interim aliquis error calculi hic facillime intercedere poterit cum non omnes fœtus eodem tempore perfectionem adipiscantur, neque semper mulieres initium graviditatis adeo accurate determinare valeant. Illam vero temporis differentiam, quo masculi & fœmellæ formari dicuntur ab Aristotele, erroneam esse, experimenta in animalibus oviparis & viviparis, canibus, felibus, suibus, aliisque capta ad vivum demonstrant. Recentiores dein judicarunt ad animationem non requiri, ut fœtus Aristotelico modo quoad omnes suas partes formatus jam sit, sed sufficere principalia tantum membra perfecta esse, quod vero ad tempus, quo dicta perfectio contingat, non convenit inter Authores; itaque alii die tertio, alii septimo, 15to alii, alii iterum à conceptione 25to die embryonis organa principalia formata, hincque animationem fieri statuunt.

Tandem Celeberrimus ille Medicus, & Juris-Consultus Romanus *Paulus Zacchias* *) animam rationalem in primo instanti conceptionis infundi multiplici eruditione defendit, & hanc quidem sententiam ob plura, quibus nititur, rationum pondera communem omnium applausum mereri in sequentibus videbimus.

Extra uterum humanum in utroque ejus latere non secus ac in reliquis animalibus viviparis & oviparis situm est ovarium, quod cum eodem utero per tubam à fallopio inventore fallopianam dictam communicat, & minimis ovulis refertum invenitur. In tali autem ovulo, dummodo maturum sit, embryo cum omnibus suis membris licet admodum exiguis præexistit, quamvis obscure & solo microscopio videndus. Virile itaque semen per tubas fallopii ascendens, ovarium penetrat, maturum quod invenit ovum fœcundat, sicque silentem embryonis vitam excitat, uti semen vegetabile, quod terræ commissum vegetare incipit, hoc est, in quo fœcundo integra planta hærens sensim explicatur. Sic vivit equidem embryo ante fœcundatio-

*) *Pauli Zacchiæ Quæst. Medico-Legal. Tom. 2. Lib. 9. Titul. 1. Quæst. ult.*

fœcundationem, ſed ſilentem vitam, qualem ſemen vegetabile, ſuſcepto vero ſemine virili partes ejus olim quodammodo in ſe ipſis involutæ evolvuntur. Fœcundatum dein ovulum ab ovario ſolutum, & liberum factum per tubas fallopianas ad uterum devolvitur, cujus tandem ſuperficiei adhærens paulatim in debitam molem excreſcit.

Ovulum ergo peractâ in ovario conceptione antequam ad uterum deſcendat, jam modo cum contento embryone incrementum auſpicatur, certæ enim obſervationes docuerunt fœtum in ovario & tubâ fallop. mala fortunâ retentum in juſtam tamen molem creviſſe. Interim increſcere & evolvi non poterit embryo ſine corculo vi humores in vaſa impellente, ergo à primo conceptionis momento, corculum fœtus adhuc pellucidum, minimum, inconſpicuum ſalit, humores in vaſa tenerrima inconſpicua propellit, hæc eadem dilatat, elongat, evolvit, ergo vivit embryo, ergo gaudet anima, quæ in homine non eſt, niſi rationalis. Et licet in initio in embryone nullæ actiones appareant, niſi vegetativæ, hæ tamen ab eâdem animâ oriuntur, quæ progreſſu temporis, dum corpuſculum magis organizatum eſt, in reliquis animalibus ſe ſimul ſenſitivam, in homine autem & ſenſitivam, & ſimul rationalem propriis actionibus ſe manifeſtat. Neque enim duæ vel tres animæ poſſent ſucceſſive idem corpus informare manente eodem vivente, ut docuit Ariſtotelis ſyſtema, in quo abeunti animæ vegetativæ ſuccederet ſenſitiva, & hâc tandem ſublata anima rationalis homini infunderetur; etenim embryo humanus in hoc ſyſtemate compoſitus eſt ab initio ex corpuſculo & animâ tantum vegetativâ, ſi ergo anima hæc auferretur, vel corrumperetur ut Divus Thomas voluit, tolleretur illud compoſitum & embryo non maneret ultra embryo, ſed embryonis cadaver, minimè ergo diſpoſitum ad recipiendum novam animam, ipſe enim embryo tunc reviviſcere deberet, quod ſine miraculo fieri non poterit. Sique etiam reviviſceret embryo nova anima informatus, longè diverſus tamen reſurgeret ab illo, qui momento ante fuerat; præſente enim anima vegetativa embryo ad ſummum planta vel fungus eſſet, accedente dein ſenſitiva fieret v. g. mulus, immiſſa rationali ex mulo tandem homo mirabili & hodie penitus exotica metamorphoſi naſceretur. Præterea nulla cauſa aſſignari poterit, unde ſenſitiva illa anima, cui abeuns vegetativa locum fecit, ortum ſuum ducat. Jure ergo merito ab hoc ſyſtemate recta Philoſophia abhorret.

His

His tandem Eruditiſſimus *Zacchias* argumentum addidit ex Conceptione B. M. V. deſumptum, hujus enim Feſtum celebrat Catholica Eccleſia die 8vâ Dec. ex divinâ revelatione à Divo *Anſelmo* probata, feſtum autem agere de primo animationis momento *Alexander VII.* declaravit; Embryo enim animâ rationali, imo & ſenſitiva orbatus, plantæ ergo ſpecies, feſti objectum minimè eſſe poſſet. Cum itaque beatiſſima Virgo ſecundum antiquiſſimam traditionem nata fuerit 8vâ Sept. & nihil hìc miraculoſi interceſſerit, ſed naturaliter concepta, per novem, ut ſolet, menſes utero humano incluſa, debito ergo tempore nata fuerit, ſtatuendum omnino erit, & in omnibus hominibus ſecundum naturæ ordinem animationem fieri in ipſo conceptionis momento.

Equidem objiciunt Adverſarii, quod Leges tam canonicæ, quàm civiles diſtinguant fœtum animatum ab inanimato. Sed primò leges hæ accommodatæ fuerunt communi opinioni Philoſophorum & Medicorum, qui tum temporis fere omnes Ariſtotelem ſequebantur. 2dò: major tamen ſemper pœna ſtatuenda eſſet illi, qui abortum procuraverit fœtûs modo ſatis formati, quam qui tenerrimi embryonis vitam extinxerit: etenim primis temporibus abortus aliunde frequentiores, à leviſſimâ ſæpe causâ orti, neque matri adeo inſidioſi obſervantur, & fœtus utplurimum mortui prodeunt; in provectiori autem graviditate ipſa prægnatio, quæ dubia ab initio apparebat, magis manifeſtatur, & vita matris tunc ſemper in abortu periclitatur. 3tiò: demum æquitas jubet, ut in dubio illo caſu: an fœtus dentur inanimati, nec ne, leges, ubi de pœnis agitur, mitiorem ſententiam ſequantur; ubi autem de Baptiſmo ſermo eſt, potius probabiliſſima illa *Zacchiæ* opinio amplectatur, ne æterna parvulorum ſalus detrimentum patiatur.

Supereſt: ut de ſectione cæſareâ agam, quatenus ſcilicet hac operatione obtineri poterit, ut defuncta licet matre, fœtus tamen adhuc vivus baptizari ſaltem poſſit. Etenim licet ſtatim poſt mortem matris ſectio inſtitui debeat, ne fœtus interea exſpiret, non deſperandum tamen erit, licet etiam notabile tempus effluxerit, cum plures fœtus 2dâ, imo 3tia poſt obitum matris die vivi adhuc in utero reperti fuerint, quales caſus legi poſſunt apud *Heiſterum* *) & imprimis in abſolutiſſimo *Cangiamilæ* opere. **) Exſpectandum tamen eſſe matris obitum, antequam

*) *Inſtitut. Chirurg. p. 2.*
**) *Cangiamilæ Embriolog. Sac. Lib. 2. Cap. 5.*

antequam hæc periculosa operatio instituatur, nemo dubitat; cumque signa mortis, licet rarius, aliquando tamen fallant, & certissimum videlicet cadaverosa putrefactio exspectari non possit, prudentis Chirurgi erit, illam eâdem cum cautela instituere, acsi fieret in vivente, tunc enim vulnus lethale non erit. Itaque novaculâ, scalpello, vel alio apto instrumento, quodcunque ad manus erit, primo venter defunctæ matris in alterutro latere lineâ longâ simplici, dein & cautissimè, ne fœtus lædatur, ipse uterus aperitur. Neque solum ultimis graviditatis mensibus, sed & quocunque alio, defunctam secare oportet ad baptizandum fœtum; probabilissimum enim est, animam rationalem immediate post conceptionem infundi. Fœtum Scarabæo non majorem viventem baptizavit Cel. obstetricans *de la Motte.* Embryonem vidit *Cangiamila* fere dierum sexdecim, vel paulo majorem extinctum quidem, sed qui antea motu se vivum exhibuerat, propterea sub conditione baptizatum. *) Alius magnitudine apis baptizatus legitur **) Ergo & primo graviditatis mense, si mulier consueta graviditatis incommoda patiatur, imprimis si similia jam olim experta fuerit, operatio tentanda erit, & Embryo sub conditione saltem baptizandus, dummodo prima ostendat humani corporis lineamenta, neque putredine corruptus inveniatur, sive motum exerceat, sive non; ille enim in tenello illo corpusculo adeo exiguus forte erit, ut à nobis percipi non possit; vel embryo ob matris obitum, aliasve causas vehementiori animi deliquio oppressus esse poterit. Innumeri credo, quotannis fœtus vivi, vel cum defuncta matre sepeliuntur, vel per abortum exclusi in latrinas projiciuntur. Nunquid christiana charitas nos obligat opinionem illam probabilissimam amplecti, etsi etiam minus probabilis foret, cum æternæ homunculorum saluti adeo faveat. Verum quidem est, quod signa graviditatis primo mense valde dubia, imo & signa vitæ fœtûs aliquando & reliquis quoque mensibus sint incerta: *præstat tamen*, ait HILDANUS, *centum cadavera prægnantium frustra incidere, quam semel permittere, fœtum vivum in utero materno tam miserè perire atque suffocari. Hoc profecto esset crudelem atque inhumanum sese erga proximum exhibere, imo & justissimam iram divinam in genus humanum provocaret.*

Insueto

*) *Cangiamilæ Embr. Sac. Lib. I. Cap. 12.*

**) —— *Ibid.*

Insueto & magno labore congessisti & ostendisti indissolubilem Chirurgiæ & Medicinæ nexum, paucis multa dixisti, Prænobilis, Expertissime, Celeberrime Domine, quæ tamen sufficiunt Parochis Theologis Curatis, ac Presbyteris, ne unquam de vita fœtûs nedum nati desperent, nec hallucinentur facile de conferendo Baptismatis Sacramento humanis embryonibus, licet sensibilia vitæ fœtûs signa non animadvertant, vitâ enim hæc tam obscura & silens esse potest, ut nullo in sensus cadente effectu se prodat.

QUARTUS Dominus Laureâ Doctorali insigniendus, ut se præstet eadem Theologum Medicumque pugna, ac sacræ huic Palladis ædi pensum debitum persolvat, demonstrabit: plura adhuc dari in Medicina Theoremata, quorum cognitio Parochis, Confessariis, Theologisque & utilissima, & scitu necessaria est.

Medicinam legalem non minus in Ecclesiastico, quàm in Naturali, Civili, Criminali Jure, judicem instruere, consilia & Responsa Medica cum annexis sacræ Rotæ Romanæ Decisionibus, à Paulo Zacchia edita, satis probant. Plures etenim in consistoriis deciduntur Quæstiones ex Medicina legali declarandæ. E. G. De impotentia, cujus ratione matrimonium dissolvendum rogatur. Ex parte maris inquirit hìc Medicus in mentulæ defectum, paralysin, situm insolitum, phymosin, capistrationem, tortuosam figuram, vitiosam perforationem; ex parte fœminæ examinat, num ulcera genitalium, arctitudo, coalitus, concretio nympharum, ac caruncularum myrtiformium, congressum impediant. Quænam ex hisce vitiis sanabilia aut insanabilia ars salutaris esse doceat, ita Medicus ecclesiasticum Judicem instruit, ut hic divortium locum habere vel non habere pronunciare cogatur.

Non minus in materie de miraculis petitur à Medicis judicium, præprimis dum sanationes à morbis & infirmitatibus concernunt; quæ ut in miraculorum referri numerum queant, BENEDICTUS XIV. L. 4. C. 8. sequentes requirit conditiones: 1mò: *Ut morbus sit gravis, & curatu vel impossibilis, vel difficilis.* 2dò: *ut morbus, qui depellitur, non sit in ultima parte statûs, ita ut non multo post naturaliter ac per sese declinare morbus debeat.* 3tiò: *ut aut nulla fuerint adhibita medicamenta, aut si adhibita sint, ea non profuisse, certum exploratumque sit.* 4tò: *ut sanatio instantanea sit,*

aut

aut certe tam exiguo temporis ſpatio contigerit, quo ex communi peritorum judicio contingere viribus naturæ non potuerit. 5tò: *ut ſanatio abſoluta, non manca & imperfecta ſit.* 6tò: *ut nulla notatu digna evacuatio aut criſis præceſſerit.* Quis autem alius ſingulas has à Summo Pontifice requiſitas ad facta miraculoſa conditiones dijudicare poterit, quam qui theoriâ atque experientiâ Medicâ ſatis inſtructus eſt. Idem, ille Pathologiæ ſuæ confidens, ſanationem quandoque pro miraculo reputabit, licet in uſum vocata fuerint medicamenta. Sic in novo Teſtamento ſanationem illam cæci nati, miraculoſam cenſebit omnis Medicus, licet CHRISTUS lutum è ſputo fecerit, cóque cæci oculos liniverit.

Chriſtianæ Reipublicæ maximoperè decens, ac laudabile conſilium fuit illud à Summis Pontificibus, & à ſacroſanctâ Tridentinâ Synodo confirmatum, & in inviolabilem obligationem injunctum, ut virgines, quæ caſtitatem Deo voverunt, & in Monaſteriis Religionis vinculo obſtrictæ commorantur, perpetuæ clauſuræ votum emitterent, ut habetur in eodem Concilio Tridentino Seſſ. 25. C. 5. & in Bullis Summorum Pontificum, præcipuè verò Boniſacii VIII., Pii V. & Gregorii XIII. Licet poſtea, ut à Decreto illo abſolverentur, plura obtinuerint ſacrarum Virginum Monaſteria, exſtant tamen adhucdum clauſurarum multæ, Papales ſic appellatæ, à quibus, quæritur, an Moniales certis de cauſis exire poſſint: Ipſimet Pontifices à clauſuræ obligatione abſolvendas eſſe Moniales, dum Epidemia vigeret, decreverunt. Epidemiæ vero nomen accipi à Summis Pontificibus pro vera peſte, facile demonſtrari poteſt, quod in omnibus cauſis, propter quas permiſerunt Monialibus exitum à clauſura, præ oculis habuerunt commune totius Monaſterii bonum, & univerſi cœtûs ipſarum Monialium ſalutem, idcirco non ſimpliciter in qualibet Epidemia hanc permiſſionem voluerunt habere locum, ſed tantum in maligna, maxime contagioſa, peſtifera, in qua vel omnes, vel major ipſarum pars periclitari poterat. Poſito nunc, id quod Adorandus Summus Dominus gratioſe avertere velit, ejusmodi peſtilentem graſſari luem, alia à Medicis reſolvenda naſcitur quæſtio: utrum præſtet infectas, an ſanas dimittere. Certè, ſi ad contagium reſpiciamus, potius infectæ quam ſanæ ſunt dimittendæ, non ſolum quia pauciores numero erunt infectæ quam ſanæ, ſed quia ſanæ exeuntes ob aëris mutationem periclitarentur, & nihil boni ipſis infectis à ſanarum exitu emanaret.

Si porro perpendam, quænam requirantur in recitandis officiis divinis, quæ item in Missa vel dicenda, vel audienda. Quinam morbi excusare possint à privata Divinorum recitatione. Quinam à publica in Choro facienda. Quinam, dum recitare officia divina non possunt, teneantur alium recitantem audire. Qui morbi Missæ dicendæ, quive audiendæ impedimento esse possint. Quænam præcepta medica in recitandis divinis officiis iis servanda sint, quibus recitatio ob aliquem morbum noxia quoquo modo esse posset, evidentissime sane video, decisivam Judicum Theologicorum sententiam in multis casibus à Medici pronunciantis dependere arbitrio casto, prudenti, fundato.

Mihi vero hodie nihil cum Consistoriis, nihil cum Judicibus, aut superioribus Ecclesiasticis, nihil cum personis privatis Medicorum ratiocinium exspectantibus agendum; sed placuit Præstantissimo Domino Promotori, id mihi injungere muneris, ut pro materie inaugurali publice ostendam, *Dari in Medicina plura Theoremata, quorum cognitio Theologis, præsertim iis, quibus animarum cura commissa vel committenda est, non tantum utilis, sed & necessaria sit.* Exigit ergo potestas Domini Dictatoris, atque auctoritas, ut hodie in conseßu Eruditissimorum, ut plurimum Eximiorum Virorum, Reverendis Parochis ac Confessariis loquar, quibus omnibus animarum curam unicè cordi esse debere, munus, quo funguntur, postulat ipsum.

Accedite ergo primo loco Parochi, Venerabiles Viri! Benevolentiam vestram non denegate ei, qui ex firmis medicinæ principiis ad curam animarum, quas Vos in æternum felices reddere cupitis, contribuere quid posse, sibi persuadet:

Christus Salvator noster concipi, gestari, pari voluit à Fœmina, habente sua ovaria, tubas fallopianas, uterum, &c. In toto generationis sui negotio, ab ortu, figurâ, naturâ hominis differre non voluit, nisi quoad conceptum, quem in Christo Spiritus Sanctus, Patrum vero sperma in nobis operatum est. Quis autem crederet, Christum diebus aut septimanis aliquot à Conceptu, non fuisse animatum Christum, sed plantæ similem, aut machinam, aut informem carneam massam? --- Celebrat Ecclesia Catholica Beatissimæ Mariæ Virginis Conceptionem, intenditque de ejus formali Conceptione, hoc est de primo animationis instanti, festum agere, non de materiali, quæ sola, ùt Theologi dicunt, non esset

festi

festi ecclesiastici objectum. Solennitas cadit in octavum diem Decembris ex divina revelatione à Divo Anselmo examinata atque probata. Si ergo Nativitas Virginis contigit octavo Septembris, ut ex antiquissima Ecclesiæ traditione consentiunt omnes, sequitur Virginem, quæ novem mensium spatio in materno utero mansit, animam eodem conceptionis suæ corporeæ die accepisse. --- Deum Patrem fabricasse è limo terræ Adamum, legimus in sacris literis; dies vero aut septimanas exspectasse Creatorem, priusquam figuræ Adami insufflaverit spiritum, non legimus; sed humanam figuram ilicò à formatione, animâ vivificare voluisse, probabilissimum est. Inde deduco historiam generationis Christi, festum Conceptionis Beatissimæ Mariæ Virginis ab Ecclesia institutum, primique hominis ortum nobis persuadere ad credendum, verosimillimum saltem, si non certissimum esse, & nos sine anima rationali conceptos non esse. Quare Carissimi Domini Parochi! in casibus, ubi agitur de Baptismo & Abortu, aliter hodie sentiendum, ac plurimi hucusque senserunt.

Embryonem humanum considerare oportet ut natum, & nonnatum. Circa nonnatum, ita instruat obstetricem Parochus: si infans caput emiserit, & periculum immineat, baptizetur in capite: nec postea, si omnino nascatur, erit iterum baptizandus. At, ubi aliud emiserit membrum, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendeat, baptizetur: verum si totaliter deinde oriatur, erit sub conditione rebaptizandus, hoc modo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo &c.* Si totus in utero fuerit, poteritque eum obstetrix in ipso manu incurvatâ, spongiâ, vel syphunculo abluere, baptizetur præmissa conditione: *si es capax &c.* Idem observetur, quamvis in eo statu sit adhuc secundinis circumvestitus, nec eæ disrumpi possint, vel non debeant; at si postea disrumpantur, erit iterum addita duplici conditione baptizandus: *si non es baptizatus, & es capax, ego te baptizo &c.* qui si postea caput ex utero vel aliud membrum emiserit, baptizandus est denuo sub conditione: *si non es baptizatus &c.* Nati vero infantes, vel maturo vel immaturo partu sunt exclusi, illi vitæ signa exhibentes, simpliciter sunt baptizandi; sin autem omni externo motu privati, frigidi, quasi exanimes jaceant, cæterum integri, conditionatè baptizentur; potest enim vita minima adesse, post minuta aliquot, aut & longius intervallum in activam mutabilis; potest ob compressionem venarum jugularium à funiculo umbilicali, collo arcte satis circumducto, stupor

 univer-

universalis adesse cum facie livida, obstetricis vero manu ac frictionis ope excussibilis &c. Huc referenda quoque sunt monstra, quæ humanam speciem non præ se ferunt, baptizanda ideo non sunt: de quibus si dubium extiterit, ac tempus interrogandi Parochum, vel peritos, non suppetat, imposita sequenti conditione baptizanda sunt: *si tu es homo, ego te baptizo* &c. De iis, quæ circa monstra ratione Baptismi observanda sint Parocho, & ab hoc edoctæ obstetrici, qui plura desiderat, adeat is Embryologiam sacram *Francisci Emanuelis Cangiamila* Lib. 3. Cap. 9. pag. 313. Immaturo partu exclusi, sive abortivi fœtus duplicis sunt speciei, aliqui non solum primariis membris instructi, sed toto etiam corpusculo completi: aliqui non completi, nimirum ætate minores. Completi, si vitæ indicium motu præbent, simpliciter baptizentur; si vero motum non præ se ferunt, at nihilominus non sunt corrupti, aut laceri, aut contusi, quamvis lividi, ac sine pulsu, respiratione, motu atque sensu, dubium est, utrum revera obierint, an non, hinc conditionatè baptizandi. Sæpe enim detectum fuit, eos propter abortûs violentiam in immane deliquium incidere, ita ut, quamvis re ipsa vivant, omnino tamen mortui appareant. De fœtibus autem non completis, id est: ætate minoribus, cum probabilissimam, ut superius dixi, licet non physicam eorum vitæ certitudinem habeamus, hinc æquitas opinionem benigniorem, ipsisque favorabilem pro baptismate conditionate ministrando, suadet esse amplectendam. Circa abortivos minimos hæc tenenda sunt: fœtus primorum dierum baptizandus est sub conditione: *si es capax*, quamvis adhuc secundinis involutus, ne tempus absumatur cum periculo ejus mortis, ubi aëri exponeretur: quæ conditio: *si es capax*, respicit æque tam dubium animationis & vitæ, quam dubium, ne baptismatis validitati obstent secundinæ; quo facto aperiantur secundinæ ipsæ, & iterum baptizetur ille sub duplici conditione: *si es capax, & si non es baptizatus* &c. Et hoc, sive motus in eo observetur, sive non. Inanimata vero corpora, ut Polypi uterini, excrescentiæ, Hydatidum congeries, tumores, mola, & ejusmodi abjiciantur. Per molam vero hic intelligi volo deformem massam, quæ ex congressu utriusque sexûs, loco fœtus humani producta, omnino à naturali conceptu degenerat. Est enim & mola, quæ massam repræsentat sanguinis rubri, valde compactam, nullo artificio solubilem; talis mola conceptus naturalis plerumque est, vid. Ill. L.B. v. Swieten §. 1326. & omnem attentionem circa collationem baptismi meretur.

Exigit

Exigit eadem circa baptiſmum miniſtrandum debita zeloſaque attentio, ut Parochus accerſitus ad mulierem gravidam, jam eo præſente, aut & ante ejus adventum exſpirantem, ilico jubeat, ſectionem cæſaream inſtitui; quotà adhuc ab obitu die ſecari queat mortua prægnans, ſub dubia ſpe ſervandi aut ſalvificandi ſaltem fœtum, quâque methodo, & quali cum cautela ſecare oporteat, expoſuit jam in enucleatione ſui Programmatis Cariſſimus D. Collega Meyer.

Prudentiſſima illa Lex, Regum, Principumque juſſu, atque auctoritate ſancita, quà præcipitur, aquis ſubmerſos extractosque omni poſſibili modo juvare, jam fere univerſalis facta eſt, cum variis felicibus Medicorum tentaminibus conſtet, ejuſmodi infelicium multos rediiſſe quaſi in vitam, aliàs futuras certiſſimas mortis victimas. Id ergo muneris incumbit Parocho; aut Clerico cuicunque tranſeunti aut vicino, ut conditionate Generalis Abſolutionis participem faciat dubium hominem.

Ipſi etenim Medico ſigna dubiæ & certæ mortis, ante primi putrilaginis gradûs acceſſum, elicere difficile eſt. Præſentia, & antegreſſa viam quidem pandunt, licet non indubitatam; ſic ſi frigus univerſale; artuum rigor; defectus contractilitatis in Iride oculi ad admotam candelam; amiſſus oculorum ſplendor; omnis motus, reſpirationis, pulſusque carentia præſto ſint; & morbus præceſſerit vel chronicus, vires carnesque pedetentim conſumens, vel acutus, ad acmen per gradus aſcendens; certa tum, ſed nondum certiſſima mortis ſigna habebit; ècontra, dum in artubus, oculis, horum Iride contrarium deprehendit, & homo ſine morbo, aut in morbo ſubito deceſſerit, dubia. Diſcant hæc ſigna Parochi, adeoque eos monere liceat, ne in opere ſepulturæ feſtinare velint.

Sacramentorum opportunè adminiſtrandorum reſpectu, non inutile quoque erit Paſtori præprimis Rurali, Medico deſtituto, indicia noſſe, unde mortem repentinam præſagire liceat. Horum aliquot ex Hippocrate hìc adjiciam: *Qui crebro & vehementer citra manifeſtam cauſam, animo linquuntur, repente moriuntur.* Lib. 2. Aph. 41. *Dolor in pectore fixus cum torpore malum denunciat, hi ſi ſuborta febre exæſtuent, celeriter mortem oppetunt.* Prædict. Lib. 1. *Oris ventriculi dolor ſeniori crebro adveniens, repentinam mortem denunciat.* Coac. Præn. Mortis quoque in morbis propinquæ indicia, ex eodem ſacro fine, perſpecta ſibi reddat Parochus. *Sic in febre non intermittente, ſi labrum aut ſupercilium, aut oculus, aut naſus pervertatur, ſi non videat,*

deat, ſi non audiat, imbecillo jam corpore, quidquid ex his evenerit, in propinquo mors eſt. Lib. 4. Aph. 49. *Præter gravitatem* (corporis) *ſi ungues & digiti liveſcant, mors confeſtim exſpectanda eſt.* Lib. Prænot. *Lividus vomitus, ſi graviter olet, celerrimam mortem denunciat.* Ibid. *Lethale quoque, labra reſoluta, pendentia, frigida, & exalbida eſſe.* Ibid. Medicis hiſce Prognoſticis, ne quid circa animarum ſalutem negligatur, inſtructum quidem oportet eſſe Ruralem Parochum, non vero Medicinam ipſam facere permiſſum eſt. Si enim certum eſt, uti certiſſimum (liceat mihi hìc contra propriam artem quid proferre) nequaquam fieri poſſe, ut in omnibus ac ſingulis caſibus, qui ſe Medico inter medendum offerunt, ipſe à culpa ſit immunis, & ſi quælibet levis culpa ſufficiat ad inducendam irregularitatem, tum profectò Clerici quicunque Medicinam exercere prohibeantur, etſi nonniſi innocua præſcribere prætendant, quæ tamen malè locata, nocentiſſima fieri queunt. Imò adeò cautè ad evitandam irregularitatem, agere oportet Parochum, ut ne pulvinar quidem debili ægrotanti ſubtrahere ſit ei permiſſum, etſi finis, quem intendit, laudabilis fuerit.

Nunc de iis morbis verba faciam, qui ex Medicorum ſententia prohibere debent, ne infirmis etiam de proximo morituris ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum miniſtretur: de jejunio, cui infirmi maxime in periculo mortis poſiti non obſtringuntur, mentionem hìc habere non eſt neceſſe: delirium perpetuum impedit Euchariſtiæ Aſſumptionem; dilucida intervalla permittunt. In anginoſis affectibus, in quibus deglutire quicquam ſine ſuffocationis periculo æger non poteſt, in ſtrangulatione ab utero, ubi mulieres tanquam mortuæ quidem jacent, at nec loqui, nec quicquam deglutire poſſunt, licet audiant & percipiant, quicquid ab adſtantibus dicitur, & aliquando manibus ac nutibus ad interrogata reſpondeant; nullo tamen modo tutum eſt illis Sacramentum miniſtrare, facile enim à minima quaque re oblatâ ſtrangulantur. Tuſſis cum continuo vomitu, nauſea, ſingultus, paſſio iliaca, cholera, lienteria, & affectio cœliaca jubent ſumma cum cautelâ procedere Parochum. Maniacos, Phreniticos, Convulſos, Epilepticos, licet his in paroxyſmo Euchariſtiæ Sacramentum porrigere non audeat Paſtor, ſæpiſſime tamen viſitet, ut enorme naturæ robur, naturalem morbi genium cognoſcere diſcat, adeóque in caſu ſimulatæ obſeſſionis diabolicæ facile ſe decipi non patiatur.

Quas perſonas tempore jejunii, & quadrageſimæ ad abſtinentiam ab eſculentis

lentis ſtringere, quas abſolvere poſſit Parochus, præprimis à gravidis, lactantibus, puerperis, ſenibus, valetudinariis conſultus, ex medicæ artis theorematibus reſolvet; quorum unum, ne prolixus ſim, proponere liceat; & judicent ex Sacro-ſanctæ Theologiæ principiis Eximii, quouſque hoc ipſum, quod proponam, obſervantiæ legibus ſubjici & non ſubjici queat: *Senes Inediæ patientiſſimi ſunt: mox homines conſtantis ætatis: nequaquam adoleſcentes: maximeque omnium pueri: atque omnino, qui id ætatis fuerint alacriores.* Hipp. Lib. 1. aph. 13. Idem divinus ſenex in ſequente aphoriſmo ſtatim ſubjungit ſequentia: *Quæ corpora incrementis augeſcunt, plurimum habent calidi nativi, propterea̓que plurimo egent alimento, alioquin horum corpus tabeſcit. Senibus vero parum caloris ſupereſt, quo fit, ut paucis fomitibus contenti ſint, nam copia extingueretur facile.* Si quis ad comprobanda hæc Hippocratica effata hiſtorias deſideret, nonnullas ex Romanis commemorabo: Pomponium Atticum die quinto inediæ mortuum eſſe, legimus apud Cornelium Nepotem. Sextius autem Baculus, ut eſt apud Cæſarem de Bell. gall. L. 6. c. 38. Cum ita ægrotaret, ut diem jam quintum cibo caruiſſet, adeo à morte procul erat, ut arma caperet, hoſtesque arceret, quippe ætate eâ, ut non ita pridem munere functus eſſet primipili; Atticus vero ſeptuaginta ſeptem annos compleverat. Sic mirari non oportet, Suetonium, cum ſcripſit Tiberium cibo per quatriduum abſtinuiſſe, non modo non adjeciſſe, quod noxæ quid inde retulerit, imo, ut conſeſtim oſtiam deſcenderit, docuiſſe. Tiberius enim tunc erat maxime conſtanti ætate. Nec facile quis reperiet pueros infantesque iſtiusmodi jejunia ſic tuliſſe. --- Ratione potulentorum velociſſimam percipimus à Parocho reſolutionem: *Liquidum non frangit jejunium.* Ego tria hic propono liquida: choccolatam, aquam vitæ, vinum. Choccolatam tanquam potum canonizare, eſt palliare abuſum ejus aſſumptionis, ut id, quod ex ſua natura cibus eſt, in jejuniis illicitus, licitum faciamus, & eorum voluptatem ſecundemus, qui hujuſmodi potioni dediti ſunt. Econtra cum choccolatæ effectus omnes ſint de directo contrarii fini in jejuniis intento, qui eſt corpus macerare, carnis ſtimulos compescere, caloris effervescentis impetus obtundere, adeóque carnem ſubjugare ſpiritui, ut hic alacrior factus ad cœleſtia elevetur: illa vero corporis vigorem adaugeat, carnis ſtimulos acuat, & caloris impetus ſanguinemque excitet, hinc ex re eorum, qui jejunii leges integras ſervandas cenſent, eſſe putaverit quilibet Parochus, ab ejus uſu in totum abſtinere.

Neque inficiari possum, aquam vitæ effectus producere, sufficientes visos ad prohibendum ejus usum in jejuniis, cum, tametsi non nutriat partes solidas, nutriat tamen & augeat ipsos spiritus, ita ut hi subjugentur carni. Quid nunc de usu vini in cœna copiosius sumendi, sentiendum sit, iis decernendum relinquo, quibus vim vini domantem, aut excitantem spiritus, scire & experiri in proprio corpore datum est.

Ad Confessarios me converto, quorum scire interfit promptam luis venereæ per concubitum propagationem. Confitetur e. g. Maritus se rem habuisse cum alia. Quærat tum Confessarius, num quid morbosi sibi inde contraxisse putet pœnitens; sin annuat, jubeat, ut utatur Medico; simulque interdicat ei congressum cum uxore, donec nil contagiosi subesse pronunciaverit Medicus; ne execrabile, quo pœnitens forte laborat, malum propagetur in insontem conjugem.

Ne honesta & pia Virgo in lamentabiles angustias conscientiæ de se puræ compellatur, acquirat sibi Confessarius notitiam fluoris albi mulierum, ne castæ puellæ ex naturali corporis irritabilitate tentatæ affigat pollutionum crimen. Signa autem albi fluoris apud Medicos hæc sunt: quibusdam continuo exstillat ex utero humor lentus, tenax, albicans, inodorus, alias acer, alias blandus. Aliæ vero talem humorem tantum eo tempore advertunt, ubi sanguis menstruus debuisset prodire. Fluxus tunc sat copiosus per 5. 6. 7. 8. 9. dies & quandoque diutius durat, postea iterum desinit. Sanguis autem nullus prodit, aut striæ tantum sanguineæ muco mistæ comparent. Si ex hisce signis morbum, non peccatum detexerit Confessarius, tum ejus muneris erit, non solummodo innocentem declarare virginem, sed & consulere, ne nubat, antequam à fluore albo integrè fuerit sanata; nubentes enim proclives sunt ad abortiendum secundo tertiove gestationis mense.

Sanus conjux exigere non potest debitum à conjuge non sanæ mentis, quia securi nequaquam esse possumus, an nascitura proles magis sano quam infirmo conjugi in valetudine similis futura sit: quinimo contra justus & rationabilis timor irrepit potius contrarii eventûs, nempe ut morboso similior sit futura, quia plerumque parentes morbosi, nempe altero ex parentibus existente morboso, potius morbosam prolem generare, quam sani sanam consueverunt; ut ex Hippocratis

auctoritate

auctoritate patet in Lib. de genitura. Quod quidem maxime locum habet in ægritudinibus cerebri, quæ omnes, cum insignes fuerint, solent esse hæreditariæ. Reliqua circa hanc materiem, quænam videlicet virum à redditione debiti excusare possint ex parte sui; quænam uxorem à debito reddendo excusent ex parte sui; quænam vel alterum vel utrumque conjugem prohibeant exigere, omnia hæc evolvi dilucidissimè possunt ex incomparabili opere *Pauli Zacchiæ*, inscripto: *Quæstiones Medico-legales*, qui liber unà cum Embryologia sacra *Francisci Emanuel. Cangiamila* omnibus Theologis, quibus animarum cura commissa vel committenda est, ita necessarius est, ut dogmatum horum virorum ignaros, errare putaverit is, qui vel primis labris hæc ipsa gustaverit; quare videant Eximii, num ea, quæ protuli, digna sint, ut in Examine Synodali imposterum proponantur.

Facunde, scite, tersissime argumenta, & quæstiones vobis propositas exhausistis, solvistis problemata, iliadem nuce complexi estis viri Egregii, Perillustris, Prænobiles, Expertissimi, ac Celeberrimi, adeoque ex amplitudine, difficultate, multitudine, nexu variarum disciplinarum demonstrastis, vos Medicâ Doctorali Daphnide dignissimos, & jus vobis vindicastis insignia Doctoralia capessendi; unum adhuc post tot gesta supereſt, quod ad Universitatis hujus antiquissimæ Leges præstetis; cum præter studiorum Communionem specialiori adhuc, eoque sanctiori Nomine cum hâc Academiâ Catholicâ estis conjuncti, peculiare onus, sed leve jugum, sed suave in vos suscipiatis, fidemque veram Romano-Catholicam ad Normam à Sstâ. Synodo Tridentina traditam & præscriptam hîc publice profitendo, & vi jurisjurandi confirmando.

Aliud adhuc præceptum ab hujate Universitate vobis impositum, vi cujus perpetuam à vobis erga se Reverentiam & Obedientiam exigit, Religiose servetis, Academici proinde Sceptri apicem attingite, & jurate, quæ Nobilis & Doctissimus Dnus. Academiæ hujus Secretarius specialiter à nobis ad id officii rogatus præleget.

Vos ergo adimpleristis, quidquid longo jam more receptum, quidquid ad consequendam Doctoratûs Lauream necessarium est; Ego proinde quoque, ne actum, vestraque morer desideria, meis è partibus nihil deesse patiar.

Adeste ergo Nobilissimi Pugiles, appropinquate mihi, aut potius vestræ appropinquate gloriæ, inferiora, quæ modo occupâstis, subsellia linquite, altiora scandite, eaque meritis vestris aptiora. . . . . .

Sedete tantillum mecum, & docete singuli sequelas, conclusiones, & Corollaria ex Doctissimis, solidissimis, utilissimisque Orationibus inauguralibus vestris sponte fluentia. . . . . .

Nitide, Splendide, Laconicè, Doctoraliter è sublimiori Cathedrâ docuistis consectaria, & conclusiones ex utilissimis & facundissimis sermonibus vestris deductas, Cathedræ hujus legitimam possessionem nacti estis Perspicacissimi, & Exercitatissimi Heroës invicti Dni. Professores publici respectivè ordinarii Epomide induti Medicinæ Licentiati, jam dudum more majorum creati per Perillustrem ac Reverendissimum Dominum L. B. MAXIMILIANUM DE GEYR in Schweppenbourg J. U. D. Ecclesiarum Metropolitanæ Coloniensis, & Cathedralis Leodiensis Canonicum Capitularem, Abbatem sæcularem in Viset, almæ hujus Universitatis Procancellarium, cui communi animo, voce, ac suffragio grates, neque has unquam intermorituras pro suâ hâc benevolentiâ, ac facilitate rependimus, pie simul, Christianeque vovemus, ut quò nostræ gratitudini, gratæque voluntati occasio prolongetur, renovetur sicut Aquilæ, juventus ejus.

Per EPOMIDEM hanc humeris vestris instratam colla oneri, neque huic adeo levi supposuistis;

Omnia ferre volunt humeri, nil ferre recusant
Vestri, sic illis gloria parta venit.

GALERUS nunc vestros exornet vertices, rotundus hic est, hinc totum orbem respicit, ea ratione credere poteritis Doctrinæ vestræ famam ad omnes orbis partes deportatum iri.

Sol oriens, moriens, septentrio discat, & Auster,
Quam fortes Medicâ sitis in arte viri.

LIBRUM jam capite clausum, in Medico enim diffusissimo Librorum apparatu, & Luxurie mirificâ gaudetis Eruditione litterariâ, lectissimorumque omnium notitiam propriam vobis fecistis, scitis.

Primorum monumenta Patrum, Mediæ acta ſenectæ
Et nova, quæ methodo, ſæcla dedêre novâ.

Nunc & apertum accipite, ſcio enim, veſtra induſtria clauſos diu Libros non patitur, ſic è lectiſſimis, probatiſſimiſque, quos impigra ſemper manu teritis, volvitiſque Authoribus, majorem pergetis ſcientiam eruere. . . . .

ANNULO jam digitos exornate, non enim oportet vos perfidum dixiſſe Sacramentum Minervæ, ſed ſapientiæ vos Authoratos, dicatos, & ſponſatos eſſe. . . . . .

In mutuos jam veſtros AMPLEXUS ruo, maneat nimirum altâ mente repoſtum, quod prælectum vobis antea fuerat, pacem & concordiam, cum ad incrementa Reipublicæ literariæ plurimùm conferant, literatos inter debere eſſe perpetuam; ſiqua tamen ſententiarum diverſitas oboritur, neſas ducite à ſacris moderationis legibus recedere.

Sanguinea exagitent inter ſe prælia Parthi,
Bella Sophos inter Mars moderatus agat.

Quod igitur Fœlix, Fauſtumque ſit, & ad DEI Triunius gloriam, mundiſſimæ abſque omni nævo Virginis, Sanctorum, Imperii, Eccleſiæ Romano-Catholicæ, Patriæ, Urbis, Univerſitatis, ac Facultatis medicæ incrementum, in communem Civium Proſperitatem, proximi Emolumentum, in Solatium mihi, in omnigenæ vobis Felicitatis abundantiam cedat, vertaturque.

Conceſſis huic Univerſitati Authoritatibus à Summis Imperantibus, ſanctâ Sede Apoſtolicâ, & ſacra Cæſarea Majeſtate, quibus in hoc paſſu fungor, Ego JOANNES GEORGIUS MENN Philoſ. & Med. Doctor, Materiæ medicæ ac Chemiæ Profeſſor publicus, ordinarius, Collegii Profeſſorum Medicorum Præſes, ſeu Primarius, h. t. Decanus. Vos Laureæ Doctoralis Candidatos utrumque latus meum ſtipantes, Te PETRUM WILHELMUM JOSEPHUM DE GINETTI Monaſterio-Eiffliacum, Anatomiæ, & inſtitutionum medicarum Profeſſorem publicum, ordinarium, Monaſterii in Eifflia humanioribus, hic Coloniæ Philoſophiæ præceptis imbutum, porro in Academiâ Monſpelienſi, & Marburgenſi, ac demum in hâc noſtrâ Medicinæ fundamentis inſtructum, in exercitu Regis Galliarum per 9

 annos

annos Medicum nosocomialem publicum, propugnatâ dissertatione *de alvi fluxibus, & Colicâ pictonum*, superatisque rigidis examinibus per septendecim annos in hac civitate Practicum perspicacissimum. Te JOANNEM WILHELMUM HEIS Agrippinatem, Professorem publicum, haustis in Florentissimâ Laurentianorum Gymnade humanioris literaturæ ac Philosophiæ præceptis, Anatomen à versatissimo Dno. Gery exercitûs Gallici Chirurgo, & demonstratore Anatomico edoctum, haustis porro hìc Coloniæ per 3 annos *me auspice & præceptore* Apollineæ Artis principiis, ventilatis duabus Dissertationibus *de Calce vivâ & variis hydropis speciebus*, exantlatis quoque rigidis examinibus, *à me ipso* Laureâ Doctorali more transeuntis, út vocant, condecoratum, porro à Perillustri, & præcellente Domino Archiatro & Consiliario intimo *Stephano de Kerich* tentatum, & Archi-Diœceseos Coloniensis inferioris, urbisque Rhenobercensis Physicum nominatum, Collegiorum medicorum Clarissimi *Leidenfrostii* Professoris Duisburgensis auditorem attentissimum, nec non à Collegio medico Electorali Dusselano approbatum, & legalitate dotatum, tandem hìc Coloniæ praxi Medica per 12 annos luculentâ Celebrem. Te MATTHIAM JOSEPHUM MEYER Agrippinatem, Medicinæ Professorem publicum, ordinarium, qui jactis in Celeberrimo trium Coronarum Gymnasio inferiorum scholarum, & Philosophiæ fundamentis, exceptis in Cæsareo-Regiâ Academiâ Duisburgensi per tres annos Lectionibus publicis ac privatis Medicis ad universitatem Argentinensem migrasti, inibique per annum non Medicas tantum disciplinas, sed & Chirurgiam, artemque obstetriciam edoctus, porro Celeberrimum Viennense Archilycæum accessisti, & præter alias artis salutaris partes Medicinam Clinicam avide, servidè, & luculento cum fructu per 3 annos audivisti; testes studiorum tuorum interpellare liceat *Leidenfrostium, Schererum* Duisburgenses, *Lobsteinium, Spielmannum Weigenum, Serrinum* Argentoratenses, *Jacquinium, Crantzium, Hænium, Quarinum, Collinum* Vindobonenses ÆSCULAPIOS; Tandem Coloniam redux superatis rigidis examinibus, & propugnata Dissertatione *de Diagnosi & Prognosi Luis venereæ incipientis* more Majorum Medicinæ Licentiatus creatus fuisti. Te FRANCISCUM STEPHANUM SCHUIRMANN Agrippinatem absoluto in Celeberrimâ trium Coronarum Gymnade humanioris literaturæ, & Philosophiæ cursu, & auditis per quadriennium Theologicis Prælectionibus publicis, porro sub meis, aliorumque hujatum Dnorum. Medicinæ Professorum Laudatissimorum auspiciis quarto nunc anno Anatomen, Physiologiam, Materiam medicam, Chemiam

miam, Botanicen, Pathologiam, Chirurgiam edoctum, rigida examina passum, solutoque publicè Aphorismo Hippocratis 81. Lib. IV. jatricæ artis Baccalaureum creatum, dein propugnatâ Dissertatione inaugurali *de signis vitæ & mortis in fœtu*, Licentiatum more majorum denunciatum.

VOS inquam, Te PETRUM WILHELMUM JOSEPHUM DE GINETTI, *Monasterio-Eiffliacum*, Te JOANNEM WILHELMUM HEIS, Te MATTHIAM JOSEPHUM MEYER, Te FRANCISCUM STEPHANUM SCHUIRMANN *Agrippinates*. A. A. L. L. ac Philosophiæ Magistros, Thesibus inauguralibus in saluberrimâ Facultate medicâ propugnatis, exantlatisque Examinibus saluberrimæ artis Baccalaureos, ac porro more Majorum Licentiatos, mihique pro more Facultatis præsentatos, altissimè satis Authoritatibus, sancta Pontificiâ, & sacrâ Cæsareâ, dico, creo, facio, respective recipio ac confirmo more Majorum Medicinæ Doctores, factosque in frequentissimâ virorum omnis ordinis honorandissimorum Coronâ palam pronuncio hìc & ubique locorum, quocunque vos pervenire contigerit, censendos, & honorandos, dans vobis potestatem Cathedram superiorem ascendendi, docendi, legendi, disputandi, aliosque actus gradui huic annexos exercendi, Facultatem medicam hanc regendi, munera publica in eâdem amplectendi, privilegia itidem omnia à Summis Pontificibus, Imperatoribus & amplissimo Magistratu huic Facultati gratiosissimè concessa, & indulta impertiens, idque in nomine PATRIS, & FILII, & SPIRITUS SANCTI. Amen.

Primus Ego, quam consecuti modo estis, prærogativam, sincerè, & animitus vobis gratulor, salvete itaque, atque iterum salvete Neo-Doctores Expertissimi, Professores publici, respectivè ordinarii! . . Nunc quanquam testes sint speciosissimæ virorum toto orbe famigeratorum sententiæ, testes universitates exteræ, testes hi ipsi parietes, & subsellia, quæ doctis toties concertationibus fecistis resonare, quæ vos acceptis dignissimos honoribus comprobent, testes tamen simul omni exceptione Majores sunt Reverendissimus ac Magnificentissimus Academiæ hujus Rector, Perillustres, Strenui, Amplissimi, consultissimique Domini D. universitatis hujus Provisores, Curatores, respective Consules, Proconsules, officio Quæstores, ac quatuor Facultatum Doctores, Professores publici, ac ordinarii, testes denique præsentes omnium ordinum Auditores... Felici auspicio peracta jam sunt omnia. Æquum itaque est, ut iis, qui nobis posse dederunt, pro concessis his gratiis, ac favoribus nos memores, gratosque testificemur.

GRATIARUM ACTIO.

Primitias Tu Tibi vendicas ALTISSIME! Tu enim animale, vegetabile ac minerale Regnum profusissimâ quodammodo Medicaminum Luxurie fœcundasti; Tu felli isti, hepatique piscis Tobiæ applicandis Balsamum salutare indidisti, Tu vires herbis infudisti, Tu mineras mirificâ agendi virtute animasti, Tu etiam Medicum propter necessitatem Omnipotenti dextrâ tuâ creasti, Tu quam in naturâ ubique elucescere fecisti harmoniam, eam cognoscendam, applicandamque in scientiis naturalibus indicasti. Largire ô Custos hominum! ut simus ii, quales nos esse vis, jubes, ut tanto supponamus oneri lacertos, ut in morbos & mortem pugnemus, fecisti potestatem, dabis copiam, facies tuo honori, & mortalium saluti, nostrisque curis successum, tua est virtus, tua est victoria, tua est gloria, vis, ut vitam ponamus pro amicis naturâ & magis voluntate tua nobis conjunctis, mundi inquam civibus, dabis Amorem heroicum, ut contemptis, quæ in hoc ancipiti munere se offerunt periculis, Victimæ charitatis existamus, donec in ejus operibus ipsi morte oppressi, tuum, ut cæteri, augeamus Triumphum. Pro bonis tantis, omnibusque beneficiis, præprimis vero, quod nostrum in solatium hanc illuxisse diem feceris, debitas rependimus grates, supplices precamur:

Dirige sic mentes, nostros ita verte labores,
Publica ut inde salus crescat, honorque tuus.

Proximum à Creatore locum tenes DEI MATER sanctissima, natalibus, ac divinis dotibus totum humanum genus, Angelorumque Choros supergressa, Regina potentissima, Virgo immaculata, benedicta inter mulieres, quæ genuisti Naturâ mirante tuum sanctum Genitorem! Mater quoque hominum amantissima, quæ in nato JESULO nascendorum totam seriem intuens totius generis humani, & illorum præcipue tenellulorum, quos primævæ vinculum culpæ tenet, Auxiliatrix gaudes invocari; adsis illis verè Philantropis, qui salutaribus sese curis dedicant, ut miseros illos, uti corporali, ita spirituali servent vitæ; aspira Tu certa salus infirmorum omnibus, qui ad lectos ægrorum pro proximi vitâ ipsi sæpe suam exponunt, tuæ tutelæ corpus & animam committimus, tua imploramus Patrocinia, ut post hoc exilium ventris tui fructum JESUM nobis ostendas.

Divos

Divos Vos, Angelum Raphaëlem, qui es Medicina Dei, S.S. Lucam, Pantaleonem, S.S. Cosmam & Damianum, Medicinæ in Cœlis Antiſtites, Geniosque Tutelares venerabundi colimus, efficaciſſimum Patrocinium, auxiliumque humillimè petentes.

Vos quoque ſingulari hodie devotione proſequimur pientiſſimi Fundatorum, & Anteceſſorum noſtrorum Cineres, urnas veſtras Celeb. *Stapedi*, *Holzemi*, Cl. *Donckers*, Cl. *Sanzey*, Cl. *Thour*, Cl. *Trœſter*, ſex ejusdem Familiæ & Nominis *Engels* quâ par eſt, Religione accedimus, ſique turbare vos videmur, noſtræ ignoſcite pietati, neſas enim ducimus, tam feſtam hìc celebrare ſolennitatem, quin vos clementiſſimos harum Ædium, ſtudiique Parentes, Statores, atque Fundatores intactos reliquerenrus.

Semper veſter honos, nomen, laudesque manebunt,
Dum ſua ſtat Muſis gloria, dum ſtat honos.

Ad vivos tandem, quorum beneficio nobis contigit adeo beatos eſſe, feſtiva hæc gratiarum actio convertitur, ad Te inprimis Reverendiſſime, Perilluſtris, Eximie D. JOANNES GODEFRIDE KAUFFMANNS, Ss. Theologiæ Doctor de Concilio, Profeſſor publice & ord., Reverendiſſimi & Eminentiſſimi Archiepiſcopi & Principis Electoris Colonienſis, ejusdemque Curiæ Archiepiſcopalis Sigillifer major, Examinator Synodalis, & Librorum Cenſor, Perilluſtrium Collegiatarum Eccleſiarum Ss. Gereonis & Sociorum Martyrum, & B. M. V. in Capitolio Canonice Capitularis, almæ hujus Univerſitatis ac generalis Studii Colonienſis Rector perquam Magnifice, Judex ordinarie, Juriumque ac Privilegiorum Conſervator à ſancta Sede Apoſtolica ſpecialiter Deputate, Domine colendiſſime!

Sæpius & diverſiſſimis in Caſibus Fiſcalibus percepiſti ſubſidium, & emolumentum, quod tum in Theologicis, tum in cauſis eccleſiaſticis à Medicinâ deſiderabas, ipſeſemet optaſti, ut à Medicis ſuppeditarentur, & facilitarentur media, queis animæ fœtuum nondum natorum ſalvari poſſent; votis Tuis per neo-inauguratos Dominos Medicinæ Doctores ſatisfactum arbitror; utere itaque hiſce laboribus noſtris, & legibus in Archidiœceſi Colonienſi ſtabiliendis, id efficias, ne unquam gravida defuncta cum fœtu forſan vivo, & quod plus eſt, non baptizato ſepeliatur. Tibi inquam, tum pro communibus, quibus quidquid ad Univerſitatis hujus incre-

mentum

mentum & concordiam ſpectat, ſapientiſſime inſtruis, curis, tum etiam pro ſingulari tua erga nos benevolentià, quâ actum hunc noſtrum condecorare non dedignabaris, ſempiternas agimus grates, ex Ampliſſimis Hygieines Regnis Laurum tantummodo ceu noſtræ gratitudinis teſſeram Tibi ſubmiſsè offerimus, huic vero utpote non morituræ vota noſtra ne & hæc poſſint marceſcere, inſcribimus:

Teſſera ſit Laurus, ſit noſtri Bajula voti
Vota, velut Laurus, neſcia finis erunt.

Perilluſtres, Strenui, Ampliſſimi, Prudentiſſimique Viri ac Domini,
D. JOANNES ARNOLDE THEODORE DE STATTLOHN,
D. JOANNES NICOLAE FERDINANDE JOSEPHE DE KERICH.
Liberæ Imperialis hujus Civitatis ac Reipublicæ Coloniensis Conſules pro tempore Regentes, almæque Univerſitatis noſtræ Provìſores, Domini perquam Gratioſi, Fautores & Patroni obſervandiſſimi!

Perilluſtres, Strenui, Ampliſſimi, Prudentiſſimique Viri ac Domini,
D. FRANCISCE CASPAR JOSEPHE DE HERRESDORFF.
D. JOANNES FRIDERICE FRANCISCE DE BEYWEGH.
D. MARIA FRANCISCE JACOBE GABRIEL DE GROOTE.
D. MELCHIOR DIETMARE DE WITTGENSTEIN.
Liberæ Imperialis hujus Civitatis ac Reipublicæ Conſules, pro tempore Officio Quæſtores & Pro-Conſules, almæque Univerſitatis noſtræ reſpectivè Proviſores perquam Gratioſi, Domini Fautores, & Patroni colendiſſimi!

Arctiſſimum diximus eſſe inter Matheſin, Hiſtoriam naturalem, Jurisprudentiam ac Theologiam cum Medicina vinculum, & indiſſolubile commercium, artem itaque ſalutarem, ut omni conatu promoveatis, ac fulciatis, utilitas publica, & neceſſitas poſtulat, liceat nobis hodie veſtris offerre curis naſcentium æque ac illorum, quos improviſus caſus ſubmerſit undis, aut aliter è vivis aufert Civium vitam temporalem, ac ſalutem ſempiternam, poteſtis enim legibus publicis ſaluberrimè ſtabiliendis homunciones hos eorumque ſaltem animas cœleſtibus deliciis conſervare, poteſtis cives illos infelici fato ſublatos reipublicæ reddere. Gratiſſimi coram frequenti, & ſplendidâ hâc Concione agnoſcimus, nos maxi-

maximis nominibus Vobis obſtrictos eſſe, hoc palam profiteri æquum eſt, & pietas jubet. Pro ſingulari illâ, quâ hunc actum præſentes illuſtrare dignati eſtis, gratiâ, ſincerum noſtrum erga Vos obſequium, gratiſſimum ac devotum obteſtamur animum, benevolentiſſimum illud erga artem Medicam Patrocinium omni ſtudio demereri, Veſtrasque gratias nobis obſirmare omni ope adniſuri, Vobis ſupra reliquos mortales devinctiſſimi in hâc Palladis æde votivas æternæ gratitudinis ſuſpendimus tabulas, atque DEUM immortalem pro Veſtrâ, Veſtrorumque ſalute perenni veneramur, ut rebus, Patriæ & Academiæ diu incolumes, lætique præſitis, ut eximiis illis, ac verè Regiis, queis fulgetis animi dotibus, ac virtutibus diù ſoſpitetur Reſpublica, Veſtriſque, Veſtrorumque ſub auſpiciis Nepotum per ſæculorum longam ſeriem feliciſſimè floreat.

Rme., Plurimum Rdi., Eximii, Sapientiſſimi Sstæ. Theologiæ Doctores, ac Profeſſores publici ordinarii, diverſarum Eccleſiarum Collegiatarum Canonici Capitulares, ac reſpective Paſtores, diverſorum Ordinum Superiores, ac Religioſi Patres!

Dudum deſiderabatis, quod demonſtrârunt Neo-Inaugurati Doctores noſtri; ad ſervandas ergo & ſanctificandas ſaltem naſcentium animas laboribus his noſtris curas Veſtras ſuperſtruite. Si plura poſtulatis, ſuppeditabit ea omnia Doctiſſimus *Franciſcus Emanuel Cangiamila* in libro ſuo, cui Titulus *Embryologia ſacra*; aureo hoc opere probavit ſe Theologum Profundiſſimum & Zeloſiſſimum. Animet Vos fervor veſter, veſtriſque excitentur, aut monitis, aut exemplis Parochi præſertim rurales, ut optimè ſibi & ſuis provideant, ut nihil negligant, quod ad ſalutem infelicium præſertim in caſibus id genus improviſis aut ſcire, aut facere jubet charitas & officium; perpendite quod arbitratur *Petrus Diacon. apud Gregor. M. L. 4. Cap. 7.* Hieruſalem cæleſtis maximam partem ex parvulis vel infantibus poſſe compleri. Supereſt, ut pro Benevolâ veſtra in hoc actu aſſiſtentiâ profundiſſimam animi gratitudinem Vobis jam publicè conteſtemur.

Rmi., Perilluſtres, Pl. Rdi., Conſultiſſimi, Clariſſimi, Dni. Juris utriuſque Doctores, Profeſſores publici, ordinarii, diverſarum Eccleſiarum Collegiatarum, & reſpective Perilluſtrium Canonici Capitulares, & qui Senatui Urbico à Conſiliis eſtis, Viri Graviſſimi!

Non pigeat vos ex demonſtratis intellexiſſe ſuppetias, quas Ars noſtra uni-

verſo Juridicundo affert; tales ſunt, quales ipſe Divus Juſtinianus poſtulavit à Medicis, queis & moderna Themis nunquam carebit tutò; dolemus verò, quod apparatus illi ſalutares, queis vicini Principes & Magiſtratus tum naſcentium, tum ſubmerſorum, tum aliorum infelicium periculo ſuccurri volunt, in Urbe noſtrâ per varios Jurisdictionum conflictus effectu ſuo, & ultro oblatis ſæpè noſtris auxiliis fruſtrentur; utinam ſaltem in hoc paſſu Humanitas ſibi plus, quàm Authoritas & Conſuetudo Juris vindicaret! Vos Viri Clariſſimi efficaci voluntate jus dare cuique ſuum ſtudetis, Veſtro diſcamus exemplo vobis pro eâ Benevolentia, qua hunc actum præſentes condecorare voluiſtis, grates profuſiſſimas perſolvere.

Ad Vos modò perveni COLLEGÆ AMANTISSIMI, *Expertiſſimi*, *Celeberrimi Viri*, Teque cumprimis in hoc ſummorum Virorum Conſeſſu compellare mihi liceat Vir Perilluſtris, Præcellens, Senior noſtrûm STEPHANE DE KERICH! utpote, quem Eminentiſſimo Principi Electori Archi-Epiſcopo Colonienſi MAXIMILIANO FRIDERICO, Archiatrum, Conſiliarium intimum, & amicum dediſſe hujas noſtra Facultas gaudet, & memori ſemper anathemate conſervabit.

Vos quoque Neo-Promoti hucuſque laborum academicorum ſocii!

Hippocrati noſtro honores ab Hercule ſecundos, victum in prytaneo cum poſteris, ſtatuam æneam viventi detulerunt Athenæ; idem noſtris adhuc temporibus ſalutifero Boerhavii Genio à Republicâ Leydenſi, idem Medicinæ in Auſtriâ Reſtauratori Swietenio ab Auguſtiſſimis collatus honos: id Genus nos præmia tàmdiù nequicquam exſpectabimus, quàm hìc nondum Athenæ ſunt; verùm ſuſtineamus patientes Muſas in hoc ſuo receſſu, adhuc amicas tamen; pro honore, pro ſalute Urbis & Academiæ patriæ, ac pro egregiè factorum conſcientiâ pateat per nos Apollinis Templum; eveniat piis votis, & quod ſpero, ſaltem vivant poſteri, ut impletam lætentur ſpem, quam fideliter concepimus de ſtudio Medico in Urbe tam opportunâ promovendo; auctam reſtauratamque quodammodo videmus in Neo-Promotis Dnis. noſtram Facultatem, novos videmus Atlantes datos Academiæ & Reipublicæ; hoc ſucceſſûs melioris auſpicium eſto. . . . Suſcipite jam ò Viri integerrimi! pro eo, quem hodie conſpectus veſter jucundiſſimus nobis præſtat, honore à me, & à Neo-Collegis amiciſſimum, quod offerunt, fœdus, & grates abſolutiſſimas; in id incumbent illi ſemper, quovis ut obſe-

obſequio Veſtrum favorem, Veſtramque amicitiam demereantur; favete illis, & valete diu, meritis beati.

Tu demum *Artium Facultas inclyta*, *Viri Pl. Rdi.*, *Subtiliſſimi*, *Doctiſſimi diverſarum quoque Eccleſiarum Canonici*, *Profeſſores ſolertiſſimi*, *de publicis Gymnaſiis benè merentes.*

O! qui ſacrata Muſis altioribus pectora præparare debetis, penes vos eſt præſtabilire illam inter ſcientias, & artes ingenuas Harmoniam, prælibanda dare juventuti quæcunque ea adminicula, quæ in aditu ſuperiorum Diſciplinarum deſiderantur; itaque Geometricis ſaltem, ſanæque Phyſices imbutos principiis nobis alumnos tradite, qui ſuſcipiant ſacrum Apollinis Sacerdotium; bonorum exemplo convertantur illi, qui adeo à Mathematicis, & bonæ Phyſicæ fundamentis revocant capaces animos, & acquieſcunt, ſi caſſis tantum ſonis circum clauſtra fremere diſcant diſcipuli, clavem ſolidæ ſcientiæ nunquam inventuri. . . . . Profectò, dum non uni, ſed omnibus utilem gravioribus diſciplinis ac Miniſtram accommodabitis Philoſophiam, proderit tamen ſingulis; hoc eſt, quod requirunt alibi, quod & hìc jam efficaciùs optabunt mecum Facultates cæteræ, poſtquam nexum illum, qui Theologicas, Juridicas, Mathematicas, ac Naturales Diſciplinas cum noſtrâ intercedit, tam arctum, & adjumenta, quæ ab invicem petunt ſcientiæ, tam neceſſaria intellexerint. Veſtrâ quod interim Præſentiâ hunc ſolennem nobis actum honeſtaturi conveneritis, Viri optimi! grates ego, grates agunt Neo-Inaugurati, votis aliquando melioribus Vobis gratificaturi.

Et Vobis nos gratabundos confiteri fas eſt, *Auditores O. O. Spectatiſſimi*, qui ſplendidiorem nobis hanc Aulam feciſtis, & Neo-Promotorum ampliâſtis Triumphum; juvat Facultatem hìc noſtram, floremque & famam antiquiſſimæ Academiæ Vobis palam commendare.

Adhuc Tu mihi ſuperes, *florentiſſima Juventutis Academicæ Corona*, voſque inter cæteros, qui ad Æſculapii Sacerdotium aſpirantes in Divæ Salutis adyta penetrare audetis, Adoleſcentes lectiſſimi! Vos inquam nobis cariſſima ſemper Pectora, quibus in ſolenni hoc actu ſe quoque mecum conſecratos agnoſcunt Neo-Inaugurati Dni. Præceptores veſtri; credite, unicè nobis in votis erit veſtris commodis

modis inſervire, & optima quæque quæ aut Anteceſſorum docta inſormatio, aut labor aſſiduus, vel plurium denique annorum luculenta praxis clinica ſuggeſſit, aut impoſterum ſuppeditaverit, ſincerè vobis, & candidè impertiri; venite tantum inſtructi debitis adjumentis, Naturæ nimirum ſacris rite initiati, Matheſeos erudito pulvere conſperſi, & quod caput eſt, cum innatâ quâdam ſciendi, & obſervandi cupidine. . . Tales exſpectat Tyrones Apollo, tales aſpirat Univerſitas, pro cujus Felicitate jam adhuc REGI REGUM litaturi ſolennes hos parietes egrediamur.